





2
DE

1782, 1

VENEFICIO CULPOSO

CONSENSU

JURISCONSULTORUM ORDINIS

7

PRO LICENTIA DIGNITATEM DOCTORIS

RITE ADIPISCENDI

D. XIV. MARTII A. MDCCCLXXXII.

AUSPICIIS DIVINIS

DISPUTABIT

JOHANNES FRANCISCUS EHRMANN

ARGENTORATENSIS

M. L. Q. C.

ARGENTORATI

Typis LORENZII & SCHULERI, Direct. Nobilit. Typogr.



667
2



VERIFICIO QULPISO

CONSENSU

JURISCONSULTORUM ORDINIS

DOCTORUM

PATRI OPTIMO

ATQUE

FRATRIBUS CARISSIMIS

D. D. D.

AUCTOR

Handwritten signature and number 9





PRÆMONENDA
DE VENEFICIO CULPOSO
IN GENERE.

Veneficium *culposum* est delictum, quo quis culpa hominis vitæ vel fanitati veneno nocet.

Ex hac definitione fluit: I. Veneficium *culposum* esse delictum. II. Sine culpa non intelligi. III. Veneno committi. IV. Hominis vitæ vel fanitati nocere.

Quum itaque Veneficium *culposum* sit delictum sive factum contra legem pœnalem commissum: sequitur, in statu civili non omnem usum veneni nocivum esse delictum; sed illum modo, qui lege pœnali est prohibitus ¹⁾).

Quum porro sine culpa non intelligatur: consequens est, in hac potissimum differentiam positam esse inter veneficium *dolosum* & *culposum*. Quæ cum ita sint, notio *culpæ* paullo accuratius explicanda erit.

1) MEISTER. *Princip. Jur. Crim.* S. II. c. II. §. II.

Culpa in genere est omisso debite diligentie. *Diligentia* hic est, cura in dirigendis actionibus nostris adhibenda. Quumque cura vel major vel minor adhiberi possit; hinc orta est vulgata illa *culpa* divisio in *latam*, *levem* & *levissimam* ²⁾. Uteriori hujus *culpa* divisionis explanationi haud immoror. Illud tantum moneo, re ad unguem sumta, *culpa* gradus ratione imputationis dari *infinitos*; prouti quis principia, contra quae peccavit, magis aut minus cognoverit, vel cognoscere potuerit. Ita fere hanc doctrinam paucis verbis explanare videtur JOH. AUG. EBERHARD ³⁾.

Ut in *dolo*, ita in *culpa* alia contra leges civiles admittitur, & in *negotiis civilibus* occurrit; alia autem contra leges poenales committitur & *culpam in delictis* sistit; & sicut delictum *dolo* commissum vocatur *dolosum*, ita, quod *culpa* commissum est, *culposum* audit. Haec autem non tam stricte capienda sunt, quasi semper delicta *dolosum* *mero dolo*, & *culposa mera culpa* constarent. Dolus enim & *culpa* saepissime concurrunt in uno eodemque delicto, ita, ut in genere effectus in delicto *partim* ex *dolo*, *partim* ex *culpa* oriri possit. In his tamen casibus, nisi legibus aliud definitum sit, a *potiori* fieri solet denominatio. Hujus autem regulae applicatio multum pender a notione *doli*, an hic in *sensu lato* pro *animo nocendi*, an vero in *sensu stricto* Legis *Corneliae de Sicariis & Veneficis* pro *animo necandi* sumatur. Illo casu delictum aliquod *culposum* audit, si plus *culpa*, quam *animi nocendi* adest; hoc casu delictum aliquod referri potest ad *culposa*, licet *animus nocendi* haud absit, dummodo non addit *animus necandi*, sive *Dolus in sensu Legis Corneliae*. Exemplum praebet *poculum abortus & amatorium*, de quo, ultimo praecipue, in *Diss.*

²⁾ cf. FRID. ESAJ. PUFENDORFII
de *Culpa* Comment. Lemgoviae 1741. 8.
P. II. c. 4.

³⁾ Neue Analoie des Socrates.
Berlin und Sibirien I. Band. 1776.
S. P. 288.

de Veneficio doloso 4) verba feci, & in præfenti opusculo quædam disputaturus sum. Hoc delictum, secundum JCtorum Romanorum Stoæ plerumque addictorum principia, ad *culposa* refertur; non quod *omnis* plane *dolus* semper abfit; sed quia talis *dolus*, sive gradus doli, qualis in *Lege Corn.* requiritur, abest, scilicet *animus necandi*; licet *dolus in sensu lato* adesse possit, qui & *animum nocendi* comprehendit. Hæc est ratio, cur veneficium culposum non inter *quasi delicta* referam, quippe quæ *sola culpa* absolvantur, sed in denominatione *delicti culposi* subsistam, sub qua omnia delicta, culpa commissa, sive *dolus* concurrat sive abfit, commode comprehendi possunt. Alia quidem principia recentiores agnoscunt Philosophi & J.Ci. Hinc quædam delicta, quæ apud Romanos ad *culposa* referebantur, hodie *dolosis* adnumerantur. Mihi autem placuit, ratione distributionis delictorum in *dolosa* & *culposa*, ad *Legem Corneliam* magis respicere, quam ad hodiernos mores, quia in prima mea Dissertatione dictam Legem pro fundamento adsumsi.

In tertia propositione diximus, *venenum requiri* in veneficiis culposis. Quum autem *venenum* vel in *sensu stricto* sumi possit, pro corpore, quod nunquam alit, sed naturam animale mutatur & ultra certam quantitatem, experientia determinatam, assumptum necat 5); vel in *sensu lato*, quo omnis materia, quæ humano corpori in data doli nocet, comprehenditur 6); veneficium culposum quoque haud inepte dividitur in *Veneficium culposum stricte sic dictum* & *V. culpos. late sumtum*.

Denique in Veneficio culposo tam strictius quam latius sumto, aut vitæ aut sanitatis læsio requiritur, ut in

4) quam Præfide JOH. DAN. REISSESEN, J. U. D. & Jur. Canon. P. P. O. Capit. Thom. Canon. defendi Argentorati d. XI. Sept. 1781. §. 11. §. 97-5) v. Diff. mea cit. §. 3.

6) v. ead. Diff. cit. §. 2. fin. cf. STENTZEL Diff. de philtris §. 17. p. 53. ESCHENBACH Medic. Legal. Sect. I. §. 9. p. 25. BËHMER. ad C. C. C. art. 134. §. 1.



veneficio doloſo ; quoniam alias nulla plane de qualicumque veneficio quæſtio eſſe poſſit.

Quemadmodum veneficium *doloſum*, ita & *culpoſum* tam *immediate* quam *mediate* multis modis committi potest. Inde varia oriuntur delicta, quæ, prouti magis aut minus nota sunt, prout ad veneficium culpoſum in ſenſu ſtricto aut lato pertinent, vel ſpeciali nomine gaudent, vel eo deſtituuntur. De illorum præcipuis diſcerere animus eſt ; & quidem primo de veneficii culpoſi reis, qui *immediate* venenis nocent, deinde etiam de iis, qui *mediate* damnum toxicis inferunt.

SECTION I.

DE VENEFICIO CULPOSO IMMEDIATE COMMISSO

CAPUT I.

De Poculo abortus.

§. I.

De abortu procurato in genere.

Inter eos, qui *immediate* veneficium culpoſum committunt, primo loco nominamus eos, qui *Poculum abortus* dant vel aſſumunt. Quodſi hoc delictum paullo fuſius pertractare vellem, peculiaris de illo conſcribenda mihi foret diſſertatio. Quod cum a ſcopo alienum ſit: præcipua modo adducam, quæ hanc materiam illuſtrare queant.

Procuratio abortus in genere dicitur illud delictum, quo foetus humanus in utero matris contentus dolo vel culpa expellitur 7).

7) L. 8. ff. ad L. Corn. de Sic. & ven. de poen. art. 133. C. C. C.
ref. L. 4. ff. de extr. crim. L. 38. ff.



Variis modis hoc delictum perpetrari potest. De illa modo specie mihi sermo erit, quæ poculo sive medicamento abortivo committitur. Ex his sequitur: I. Procuratio- nem abortus, quæ poculo fit, esse delictum. II. Et dolo & culpa committi. III. Medicamenti abortivis peragi. IV. Expulsionem fetus requiri.

§. II.

Est delictum.

Abortus procurationem, quæ poculo fit, *delictum* esse, dubium non est; quia procuratio abortus in genere legibus pœnalibus modo citatis est prohibita. Hujus delicti coërcitionem apud Romanos poscebant imprimis corrupti mulierum mores, quæ sæpe ob causas levissimas partum abigebant; præsertim, *ne rugis*, ut ait OVIDIUS, *ventrem Lucina notaret* 8). Huic prævæ consuetudini favisse quodammodo videntur Philosophiæ stoicæ principia, quibus imbuti plerique Romanorum Jcti, quod mater intus gerebat, hominem esse negarunt 9). In Germania hoc delictum tunc de-

8) Quorsum alludunt etiam, quæ Idem de Nuce v. 23. canit: *Nunc uterum vitiat, quæ vult formosa videri,*

Raraque in hoc ævo est, quæ velit esse parens.

SENECA de Consol. ad Helv. c. 16. *Nunquam, inquit, te fecunditatis tue, quasi exprobraret ætatem, puduit: nunquam more aliarum, quibus omnis commendatio ex forma petitur, tumescentem uterum abscondisti, quasi inadecens onus, nec intra viscera tua conceptas spes liberorum elisisti.* JUVENALIS Sat. 6. v. 595. ita loquitur:

*Sed jacet aurato vix ulla puerpera læto
Tantum artes hujus, tantum medicamina profunt*

Quæ steriles facit, atque homines in ventre necandos.

Quantum humanæ naturæ repugnet hæc facinora, congrue exprimit OVID. *Amor. L. II. Eleg. 14.* ubi graviter in puellas invehitur:

*Quæ prima instituit teneros convelle-
re fetus*

Militia fuerat digna perire sua.

Et paucis intermissis:

*Hoc neque in Armeniis tigres fecere læ-
tebris,*

*Perdere nec fetus ausu leona suos:
At tenera faciunt, sed non impune,
puellæ,*

*Sæpe, suos utero quæ necat, ipsa
perit;*

*Ipsa perit, ferturque toro resoluta læ-
pillos,*

*Et clamant, Merito, qui modo em-
que vident.*

9) L. 9. §. 1. ff. ad L. 1. de ventri-
insp. L. 7. eod. &c.

num invaluit, postquam peregrini majorum nostrorum mores corruperant. ¹⁰⁾

§. III.

Et dolo & culpa committitur.

Quum deinde & *dolo* & *culpa* delictum hoc committatur; consequens est, illud vel *dolosum* vel *culposum* vocari posse, prouti vel *dolus*, qui hic *animum nocendi* denotat, vel *culpa* prævalet. Rationem, cur delictum hoc inter *culposa* referam, quod scilicet id fiat *ratione Legis Corneliae*, quæ sub *dolo animum necandi* intelligit, supra (*Pram.*) exposui.

§. IV.

Medicamentis abortivis peragitur.

Quum porro de abortu *medicamentis* procurato fermo sit: omnis delicti probatio pendet a quæstione: *Num dentur vera medicamenta abortiva*, id est, talia, quæ conceptum in utero embryonem tamdiu conservari haud sinunt, ut natus inter vivos manere queat, sed ante lapsum illius temporis spatium eundem, sive vivum, sive mortuum exturbant? ¹¹⁾ Quæstio hæc inter eruditos controversa est. Negat illam HOFFMANN ¹²⁾ causam foetus expulsi *morbosæ* dispositioni corporis & naturæ tribuens, graviterque increpat JCTos, quod sine *corpore delicti* pœnam definiant. Illum variis argumentis refutare studet BOEHMER ¹³⁾ præsertim, quod abortiva *causam sine qua non*, uti in schola loquuntur, constituent.

Bene distinguit ESCHENBACH ¹⁴⁾ inter quæstionem: *Num dentur medicamenta, abortum semper & cum effectu certo*

¹⁰⁾ ENGAU *Elem. Jur. Crim. L. I.* in ejus *Opusc. Pathol. præct. seu Dissert. selectiorib. Hale.* 1738. 4. *Dec. Tit. 32. §. 407. **

¹¹⁾ ESCHENBACH *Medic. legal. S. cad. II. Diss. V.*

¹²⁾ in *Diss. de lesionib. extern. abortiv. venen. ac philt. Obs. XII.*

¹³⁾ *Obs. V. ad Corpz. P. I. q. XL*

¹⁴⁾ *l. c. §. 23. p. 47.*

procurantia? & illam: Num abortus, usum quorundam medicamentorum, abortum procurandi scopo subministratum brevi secutus, hisce medicamentis adscribi mereatur? Negat illam aliorum experientia edoctus; hanc vero affirmat, dummodo nulla alia causa ad effectum secutum aliquid contribuerit. Hanc distinctionem invitus agnoscere videtur HOFFMANN 15) dum remedia admittit, quæ uterum ad abortiendum disponant atque reorum votis nonnunquam satisfaciant; ibique omnia calidiora emmenagoga ac diuretica, fortiora purgantia & emetica refert.

§. V.

Expulsio foetus requiritur.

Quum denique *expulsio foetus requiratur*, sequitur, partum revera abactum esse debere, & quidem brevi post assumptionem abortivorum tempore 16); alias enim cum Medico incertus hæreret iudex, annon alienæ forsitan causæ tribuendus esset hic effectus? adeoque de corpore delicti nunquam penitus constare posset. De delicti hujus consummatione autem certiores nos reddunt vel *inspectio*, si foetus extat, vel *confessio* feminae indicis suffulta, æque ac in infanticidio 17).

§. VI.

Pœna Juris Romani.

Quod ad poenam apud Romanos attinet: SEVERUS & ANTONINUS 18) rescripserunt, eam, quæ data opera partum abegit, a Præside in temporale exilium dandam esse: *indignum enim*, ajunt, *videri posse*, *impune eam maritum liberis fraudasse*. Quum itaque *injuriam marito illatam* pro deci-

15) Medicin. Systemat. T. IV. P. §. 4.

III. c. 9. §. 16.

16) ESCHENBACH I. c.

17) BOEHMER ad C. C. C. art. 133.

18) L. 4. ff. de extraord. crim. l.

8. ff. ad l. Corn. de Sic. & venef. l.

39. ff. de penis.



deni ratione allegent Imperatores: facile patet, hanc legem ad extirpationem foetus ante contractum matrimonium a muliere scienter factam non pertinere. Post contractum vero matrimonium poenæ dictatæ locus est; sive hoc subsistat, sive divortium factum fuerit ¹⁹⁾ siquidem in utroque casu maritum liberis fraudet uxor. Dixi *temporale exilium* interminari Imperatores, & ad hoc probandum cum aliis *Legem 39. ff. de pœnis* allegavi. Hujus autem legis verba finalia, quæ de *temporali exilio* mentionem faciunt, pugnare videntur eum verbis initialibus ejusdem legis, quæ ita posita sunt: *Cicero in oratione pro Cluentio Avito scripsit, Milefiam quandam mulierem, cum esset in Asia, quod ab heredibus secundis accepta pecunia partum sibi medicamentis ipsa abegisset, REI CAPITALIS esse damnatam.* Quid itaque sibi vult *TRYPHONIUS*, ex cujus scriptis hæc lex desumpta est, quod poenam duriozem ab initio dictatam, mox elevet? Num sibi contradicit? Minime gentium; regum enim tradit verbis finalibus, exceptionem initialibus. Hujus exceptionis rationem ipse *CICERO* ²⁰⁾ in turpissimo quæstu & avaritia ponit, quæ spem parentis, memoriam nominis, subsidium generis, heredem familiæ, designatum reipublicæ civem sustulisset.

Hæc de muliere, quæ sua sponte sibi ipsi partum abegit. Quodsi alius tale pharmacon mulieri dat: illud vel *scienti* ac volenti, vel *ignoranti* & invitæ propinat.

Illo casu citatæ leges quod ad mulierem disponunt, nisi quod forsân, pro ratione momentorum, poena mitigari possit. Quod autem ad poenam ejus attinet, qui alii scienti propinavit: leges nil diserte disponunt. Legum autem analogia suadet, talem, si femina perit, graviori poena, quam illa *L. 3. §. 2. ff. ad L. Corn. de S. & V.* mitiori autem illa *L. 38. §. 5. ff. de pœn.* puniendum esse. Nam in

¹⁹⁾ *L. 39. cit.*

²⁰⁾ *Orat. pro A. Cluentio C. II. P. I. Q. XI.*

Oper. Vol. II. P. I. p. 564. Ed. Hal.

1756. cf. BOEHMER *Obs. I. ad Carpz.*

L. 3. *cit.* relegatur ea, quæ non quidem malo animo, sed malo exemplo medicamentum ad conceptionem dedit, ex quo ea, quæ acceperat, decesserit; in L. 38. *cit.* vero ultimum supplicium dicitur ei, qui *ignoranti* poculum abortus dedit, ex quo decesserit. Is igitur, qui scienti dedit poculum abortus, ex quo decesserit mulier, plus fecit, quam femina, quæ in L. 3. depingitur, minus tamen, quam ille reus, quem L. 38. sistit. Multo magis adeo indulgentiæ locus esse debet, si non mortua sit mulier.

Hoc casu, quo quis scilicet *ignoranti* poculum abortus procuraverit, gravior poena reum manet. Humilior enim in metallum, honestior in insulam amissa parte bonorum relegatur ²¹). Quodsi ex ejusmodi poculo mulier perierit, summo supplicio afficitur ²²); etsi dolo non faciant, ut dicit PAULUS in dicta lege 38. quicquid sub eo intelligas ²³); sed quia *res mali exempli est*. Hæc sola est ratio decidendi, quam disertis verbis JCTUS allegat. Sub malo autem exemplo non frequentia delinquendi, uti nonnullis visum, intel-

21) L. 38. §. 5. ff. de penis. Quod Lex hæc de eo loquatur, qui feminae *ignoranti*, non de eo qui *scienti* poculum abortus dedit; ex eo conjicio, quod crimen hoc cum amatorio, quale nunquam scienti datur, in eadem lege conjungatur & pari passu cum eo ambulet.

Citata L. 38. speciem olim jam antiquiori Romanorum ævo, impunem non fuisse, licet mulier non perierit, existimat ALOYSIUS CREMANIUS de jure Crim. L. I. P. III. c. 5. art. 8. §. 231. not. (II.) non quidem ratione factus, sed ob injuriam, quæ facta censebatur mulieri, quam vix cogere possumus, ut intempestive pariat, quin uno eodemque tempore in aliquo vitæ periculo eam ponamus. Idem auctor l. c. jns Romanum recentius mira severitate interpretatur, dum statuit: & maritum, qui futuram sue

conjugis prolem quodammodo abhorrens abortum illi procuraverit, & mulierem, quæ sponte & improbo consilio immaturum foetum expellere tentaverit atque expulerit etiam, in Legem Pompejam de parricidiis incidere. Ratio, quam allegat hæc est; quod homo sit ac filius etiam ille, qui talis est futurus, nec referat, natum quis disturbet animum, an nascentem, perfectum jam, an designatum civem Republicæ tollat. Quicquid sit, sententia hæc in legibus Romanis certe nullum presidium invenit.

22) In hoc ipso discrimen positum est inter hujus delicti reum & veneficum dolosum. Nam hic ordinaria poena plectitur, licet mors non secuta fuerit. v. Diss. mea de Venef. Dolos. §. 21. lgg.

23) cf. Diss. mea de Venef. Dolos. §. 11.

B



ligenda videtur, neque sola *perniciēs reipublica*, dum multi in furorem, alii in insaniam, plerique in vitæ periculum incidunt, quod BOEHMERUS 24) putat; sed potius eam ob rationem poculum abortus aut amatorium *rem mali exempli* vocasse videtur PAULUS, quod in hujusmodi poculo præsidium facile invenirent, quo contra veneficii *dolosi* inculpationem sese defendere possent, dicendo: se abortum aut amorem, non vero mortem alicui intentasse; adeoque impunitatis, vel saltem levioris poenæ spes propensum in atrocissimi criminis animum ad veneficium dolosum committendum alliceret, nedum ab eo repelleret.

§. VII.

Pœna Juris Germanici.

Germani veteres varias poenas in eos, qui partum abigunt, statuerunt; quarum plerasque tamen iis magis, qui mulieri *causam* abortus dederunt, quam ipsi matri delinquenti, decretas fuisse observat BOEHMER 25).

Sequitur dispositio NEMESEOS CAROLINÆ, quæ *Articulo* 133. ita loquitur:

**Straff der ihenen so schwangern Weibsbilden
finder abtreiben.**

Item so jemandt eynem Weibsbildt durch bezwang
essen oder trincken, eyn lebendig Kindt abtreibt, wer
auch Mann oder Weib unfruchtbar macht, so solch
übel fürsegllicher und böshafftiger weis beschicht, soll
der Mann mit dem Schwert als eyn Todtschläger,
und die Fraw so sie es auch an ir selbs thette, extrent
oder sunst zu todt gestrafft werden. So aber eyn
Kindt, das noch nit lebendig wer, von eynem Weibsbildt
getrieben würd, sollen die Urtheyleyler der straff
halber bei den Rechtverstendigen oder sunst wie zu
endt diser ordnung gemelt, radts pfliegen.

24) ad C. C. wt. 133. §. 5.

25) l. c. §. 6.



Duplex hic articulus sistit crimen, *partus abacti & procurate sterilitatis*. De hoc inferius, de illo nunc agendum. Monet Imperator, delictum illud *duplici modo* committi, vel *vi externa durch bezwang* e. gr. fuste uterum percutiendo, se fortiter cingendo & aliis ejusmodi factis; vel *abortivorum propinatione durch essen oder trinken*. Hunc modum hic precipue in censum venire, jam supra notatum est. Distinguit porro legislator in abortu inter partum *vivum eyn lebendig Kindt*, & *nondum vivum eyn Kindt*, das noch nit lebendig wer. Distinctio hæc originem traxisse videtur ab illa inter partum *animatum & non animatum*, de cujus fonte & fatis magni nominis egerunt auctores ²⁶). Quicquid sit, recepta a CAROLO V. distinctione inter partum *vivum & non vivum*: Jcto nil superest, quam ut sana interpretatione legislatoris mentem eruat. Verum enim vero hec magna conversio & perturbatio rerum oritur. Quum enim de termino vitæ nil diserte disponat CONSTITUTIO CRIMINALIS CAROLINA: quilibet interpres pro sua fere ingenii fertilitate illum definit, simulque de vita rei decidit. *Alii* enim hoc tempus constituunt in masculo post diem 40^{um}, in femina vero 90^{mo} a die conceptionis; *alii* post diem 30^{um} in masculo, 40^{um} in femina ²⁷); *alii* cum THEODORICO ²⁸) distinguunt inter partum *formatum*, ubi de sexu evidenter constat, & *non formatum*, ubi id non constat, atque illum pro vivo habent; *alii* porro secundum praxin *Saxonicam & Austriacam* dimidii graviditatis temporis excessum pro termino agnoscunt ²⁹); rursus *alii* cum

²⁶) JUST. HENNING. BOEHMER in nota 82) ad c. 9. C. 32. q. 2. Corp. Jur. Cas. sue edit. JOH. SAM. FRIDER. de BOEHMER in *Obs. I. ad Carpz. P. I. Q. XI. WALCH* de genuino fonte distinctionis inter fetum *animatum & inanimatum*. Cum his auctoribus conferti merentur KALTSCHMID Diff. de *distinct. inter fetum animat. & non animat. ex medicina forensi eliminanda*. Jene 1747. LANG-

GUTH Diff. de *fetu ab ipsa conceptione animato*. Witt. 1747. LUDWIG *Medic. forens. p. 85.*

²⁷) CARPZOV. *P. I. q. XI. n^o. 6.*

²⁸) *Coll. Crim. p. 1047. cf. SEIGNEUX Systeme de Jurisprud. Crim. ch. 32.*

²⁹) CARPZ. *l. c. n^o. 5. sq. KRESS ad C. C. art. 133. §. 5. Ued. Cest. Land=Ordn. art. 66. §. 6.*

LEYSERO 30) ad Physicorum & Medicorum argumenta 31) provocant, quæ partum a conceptionis momento vivere probant, ideoque omnes, qui abortum qualemcunque procurant, pro homicidis habent.

Infirmi- tatem harum opinionum agnovit BOEHMER 32); unde cum BERGERO 33), ENGA- VIO 34) & aliis ad motum in utero recurrit; & quum de hac re vix aliter, quam ex confessione matris constare possit: plerumque purgatorio vel tormentis opus esse arbitratur, secundum qualitatem indiciorum, ream gravantium.

§. VIII.

Quenam sententia admittenda?

Sed etiam hanc BOEHMERI doctrinam gravissima pre-
munt dubia; quum flatus, spasmos aliasque causas, eos-
dem in uteri regione effectus producere posse, quotidiana
doceat experientia 35). Quam parum itaque mulierum ea
in re confessioni credendum sit, quis non videt? Dato
etiam, sed non concesso, motum in utero certum esse
vitæ signum; attamen minus probabile est, CAROLUM V.
tam breve tempus, intra quod foetus se movere incipit,
pro vitæ termino agnoscere voluisse. Siquidem crimen
abortus homicidio æquiparet verbis *als eyn Todtschläger*.
Hoc certe non fecisset, nisi magnam similitudinem inter
hæc duo crimina invenisset. Hæc autem similitudo *maxima*
est in necato foetu, qui in vivis manere potuisset, si ab-
sque poculo abortus eodem tempore natus fuisset; *minima*
vero, si ea ætate abactus est foetus, qua sese movere in
utero incipit. Quo propior enim huic termino adhuc est
foetus: eo minus in lucem editus vitam agere potest.

30) *Spec. 597. med. 24.*

31) cf. citati in nota 26) h. Diff.

32) ad CARPZ. l. c. *Obs. II. §. ad*

C. C. art. 133. §. 3.

33) *Elect. crim. p. 112.*

34) *Elem. Jur. Crim. L. I. T.*

XXXII. §. 408.

35) GOELICKE *Med. forens. Spec.*

IV. §. 9.





Verius itaque videtur, CAROLUM V. sub voce *lebendig* partum, quem vocant *vitalem* intellexisse, adeoque partum septimestrem demum pro *vitali*, immaturorem vero partum pro *nondum vitali* agnovisse; quum hic in lucem editus inter vivos nunquam fere maneat ³⁶), illi autem nato sepiissime vita superfit ³⁷). Quapropter nonnulli eruditorum nondum *vitalem* partum *vivum* modo vocarunt, eumque a *vitali* distinxerunt ³⁸).

Hæc sententia cum mente Imperatoris optime conspire videtur, qui verba *eyn lebendig Kind* paullo ante ³⁹) conjungit cum verbo *gliedmessig*; quod non *membra distincta* significare videtur, quum alias quaestio moveri possit: utrum oculus *naturalis* requiratur, an *armatus* ad hoc indagandum sufficiat? uti ipse observat BOEHMER ⁴⁰); sed potius partum, cujus artus in ea proportione sunt, ut inter vivos manere queat. Huic interpretationi & illud favet, quod in *C. C. C. art. 133.* ubi verbum *lebendig* nude occurrit, eadem poena, scilicet aquæ, feminam maneat, quæ huic dicitur in *art. 131.* in quo verbum *lebendig* verbo *gliedmessig* jungitur ⁴¹).

³⁶) *re fere* adjei, quia van SWIETEN Comment. ad Boerhaave Aphor. T. IV. §. 1309. p. 512. exemplum affert partus minoris adhuc septimestri, qui recens natus non superabat palmæ manus magnitudinem, & tamen a patre medico fuit servatus. Sed talia exempla nimis rara sunt, quam ut ad illa respicere debeat iudex.

³⁷) HOFFMANN *Med. Syst. T. IV. P. III. c. 9. §. 2. p. 621.* Georg Albrecht Fried Anfangsgründe der Geburts-Hilfe, Strassburg 1769. 8. 5. B. 1. Kap. §. 557.

Distinctionem inter partum *vitalem* & *non vitalem* admittit, optimis rationibus firmat, & modum eruendi corpus delicti indicat CARPZOV. P. I. q. XI. n. 37. §q. in crimine infanticidii. Ubi autem de abortu verba facit, veterem de partu *animato* &

inanimato cantilenam modulatur. l. c. n. 2. §q.

³⁸) ESCHENEACH *Medic. legal. Sect. XVII. §. 124.* Cum his non confundenda est vulgaris illa divisio partus in *maturum* (zeitige Geburt), quæ in fine mensis noni editus est, & *immaturum* (unzeitige Geburt), quæ ante hoc tempus nascitur. v. Fried l. c. 3. B. 1. Kap. §. 156. §q. p. 55.

³⁹) *C. C. C. art. 131.*

⁴⁰) *ad C. C. C. art. 133. §. 3.*

⁴¹) Cum hac tamen differentia, quod in *art. 133.* poena aquæ simpliciter dicitur; in *art. 131.* autem cum additamento: *Wo aber solche übel oft geschehen, wollen wir die gemelten gewohnbeyt des vergrabens um psälens, umb mberforcht willen . . auch zulassen.*

§. IX. *Penā ordinaria C. C. C.*

Qui ex proposito abortum procurant, poena ordinaria afficiuntur. Distinguendum hic inter *virum & mulierem*. Illi porrigenti, tanquam homicidæ, gladius; huic, vel porrigenti vel scienter deglutienti, indistincte *aqua* dictatur, cum additamento **oder sunst zum Tode**.

Ex his sequitur, affirmandam esse quaestionem: *Num pater sub verbis so jemandt & soll der Mann comprehendatur?* Verba enim illa generalia sunt, & non distinguente lege, Jcti non est distinguere, nec disertis legum verbis duriorum esse 42). Consentit BOEHMER 43), *analogia* tamen *juris* propius accedere fatetur illorum sententiam, qui patrem non *minori* poena, quam matrem, dignum esse existimant. Affirmative etiam respondendum est quaestioni: *Utrum in tertio abigente sexus circa poenam habeatur ratio?* Quum suffocationem in aqua, tanquam poenam feminis in genere propriam dictaverit CAROLUS in art. 133. Hoc probat verbum **auch**, ut recte observat KOCH 44), cum quo conspirant CONST. CRIM. BAMBERGENSIS 45) & BRANDENBURGICA 46) ubi: **tett es aber eyn Weybsbild an ihr selbst, oder eyner andern, die soll ic.** „Quicquid sit“, inquit BOEHMER 47), „dispositio paulo durior & ob prævalentem hodie in infanticidio, loco suffocationis, poenam nam gladii, fere otiosa est.“

Quod ad illos attinet, qui feminæ abortum *persuaserunt*, eos, si illecebræ *repetita* fuerint, ut colligi possit, sine his illam facinus ausuram non fuisse; capite damnandos esse, cum BERLICHIO 48) statuit BOEHMER 49). Alias complices arbitrarie, pro ratione adiutorii coërçeri asserit KRESS 50).

42) C. C. C. art. 104. L. penult. ff. de penis.

43) ad C. C. C. art. 133. §. 8.

44) Inst. Jur. Crim. §. 482.

45) art. 158.

46) art. 160.

47) l. c. §. 9.

48) P. III. conclus. VII.

49) l. c.

50) ad C. C. C. art. 133. §. 6.

Quo fundamento ENGAU 51) in puniendis hujus delicti sociis ad cognationem inter eos & foetum abactum intercedentem respicere præcipiat, ignoro; quum ne quidem in ordinaria poena conjunctionis rationem habeat Imperator. Solam æquitatem eum ad hanc distinctionem impulisse suspicor.

A disertis C. C. C. voluntate abit praxis hodierna, quæ absque sexus differentia & porrigentem & accipientem ferro ultore persequitur. 52).

§. X.

Quando poena mitigatur?

Finalia legis nostræ verba de *mitigatione poenæ* agunt, & arbitrariam poenam dicunt quoties partus *nondum vitæ* abigitur; de quo ex Medicorum consiliis constare debet.

Dentur & alii casus, in quibus & Romanorum leges & C. C. C. non quidem disertis verbis, sed ex illorum rationibus poenam minuere permittunt. Talis est, si *mera culpa*, nullo intermixto nocendi proposito peccatum fuerit; e. gr. quando quis abortiva sanandi scopo imprudenter propinavit 53), aut Medicus personis suspectis talia petentibus incaute dedit aut formulis præscripsit. Statuta tamen *Argentoratensia* hoc in casu quandoque ob graviora momenta, quæ factum circumstant, usque ad poenam mortis procedi jubent 54).

Veniam quoque meretur, quæ parentum persuasionibus inducta hausit abortiva; modo minorennis sit, alias illam gladii poenam non evitare statuit BERLICH 55). Conspirat FROELICH 56), hancque sententiam jure *Austriaco* 57) receptam esse monet. Cessat quoque poena ordinaria, si

51) *Elem. Jur. Crim. L. I. T. 32. §. 412.* Collegio Medico 1757. pag. 19. (82)
 52) KRESS l. c. §. 5. 55) P. IV. Conclus. 8.
 53) MOELLER ad Const. Elect. IV. 4. 56) ad C. C. C. L. II. T. 13. Art. 6.
 54) *Hey Leibs- und Lebensstraffe v. der Medicorum Ordnung §. 23. in Strassburgischem* 57) *Med. Vestiv. L. V. art. 66. §. 13.*

non foetus, sed *mola* clam abacta fuerit 58). Quum denique morbo æque ac malis artibus foetus extirpari queat, adeoque de *vi abortivorum*, ceu caussæ abortus certo constare debeat: poena ordinaria cessat, quoties medici de ea re dubitant. Quod, quia sæpe fit, atque ita de *corpore delicti* plerumque non satis constat: in crimine abacti partus hodie vix ultra poenam ergastuli quatuor per annos sustinentam procedi, adnotat PÜTTMANN 59).

§. XI.

Quando pœna exasperatur?

Quemadmodum pœna quandoque mitigatur, ita ob momenta atrociora, veluti criminis *iterationem*, turpissimum *lucrum* (§. 6.) conjunctum, *internecionem gravidæ* & similia, exasperatio pœnæ locum habere potest 60).

§. XII.

De satisfactione privata.

Superest, ut de eo quod privatorum interest, aliquid adjiciam 61). Scilicet, eum, cui spes fundata commodumque moraliter certum per foetus abactionem eripitur, indemnem præstare, & leges positivæ & naturalis æquitas suadent 62).

CAPUT II.

De Poculo sterilitatis.

§. XIII.

An talia dentur?

Proxime sequuntur, qui *pocula sterilitatis* feminis, aut

58) FROELICH ad C. C. C. l. c. N^o. 5. BOEHMER ad C. C. C. art. 133.
 59) Elem. Jur. Crim. L. I. c. 21. §. 11.
 60) ENG AU Elem. Jur. crim. L. I. T. 32. §. 411. 61) De hoc quadam in Diss. de Venef. dolos. §. ult. præoccupavi.
 62) KRESS. ad C. C. C. art. 133. §. ult.

viris impotentiam medicamenti conciliare dicuntur. Quum autem talia remedia dari præfracte negent HOFFMANN 63), ESCHENBACH 64) aliique; et, si ejusmodi darentur, de *corpore delicti* non satis constare posset, quoniam probari nequit, hominem, poculo non hausto, ad sobolem procreandam aptiorem fuisse; medicamenti datio, quod pro tali habetur, vix inter delicta referri meretur.

§. XIV.

Dispositio C. C. C.

CONSTITUTIO C. C. art. 133. procuratam sterilitatem crimini abortus exæquat verbis: **wer auch Mann oder Weib unfruchtbar macht** &c. Sanctionem hanc principii primis jurisprudentiæ criminalis manifeste contrariam esse, adnotat BOEHMER 65). Quod autem cum BERLICHIO 66), KRESSIO 67) aliisque poenam *arbitrariam* concedat, de prava intentione intelligendum esse autumo, quam impunem relinquere, quia tale factum mali exempli res est, consultum non foret.

Num vero dispositio C. C. C. plane inutilis est? Minime gentium; recte enim BEYER 68) castrationem cum hoc crimine coincidere & ab omnibus fere gentibus graviter vindicari testatur. Hanc sententiam confirmant verba *art. 133. durch Zwang*, generalia & de omni medio violento, quo sterilitas procurari potest, intelligenda. Me tamen in eo haud consentientem habet idem auctor, quod *ultimo supplicio* locum non faciat; Nam *vel* castrationis crimen cum crimine sterilitatis procuratæ coincidit, *vel* ab eo differt. Dum prius assumit BEYER: absque regularum sanæ interpretationis offensa, poenam crimini sterilitatis dictatam, quæ illa mortis est, tanquam consequens declinare

63) *Diss. De lesionib. ext. abortiv. venen. ac philtv. Obs. 13.*
 64) *Medic. legal. Sect. XV. §. 119.*
 65) *Obs. IX. ad Carpz. Q. XI.*

66) *P. IV. Conclus. 8. N^o. 58.*
 67) *ad C. C. C. art. 133. §. 4.*
 68) *ib. art. ad C. C. C.*

nequit; præsertim, si invito virilia exsecantur. Immo, & tacente C. C. C. jus Romanum *pœnam Legis Corneliæ* dictat ei, qui etiam volenti virilia exsecaverit ⁶⁹).

Excipi tamen debet ille, qui jussu principis masculum castravit ⁷⁰). Si modo hodiernum adhuc principes dentur, qui effeminatas voces humanæ felicitati præferre cupiunt; postquam *φιλέθρωπος* CLEMENS XIV. Summus Pontifex sapienti consilio spadones fieri prohibuerat.

CAPUT III.

De philtro, poculo odii &c.

§. XV.

Philtrum.

De *Philtri propinatione* quædam in priori Dissertatione *de veneficio dolofo* jam præoccupavi ⁷¹). Nunc ejus naturam & indolem paullo accuratius rimabor.

Philtri propinatio est delictum, quo quis medicamento, quod *philtum* vocant, alteri invito amorem excitare studet, malo eventu secuto.

Ex hac definitione sequentia fluunt: I. *Philtri propinatio* est delictum. II. Dolo vel culpa committitur. III. Conficitur philtro. IV. Effectus philtri requiritur.

§. XVI.

Est delictum.

Philtri propinationem delictum esse, non modo ipsius facinoris natura, sed etiam leges pœnales docent, ad illud coercendum latæ ⁷²). Quum delicti hujus indoles ab illa

⁶⁹) L. 4. §. 2. ff. ad L. Corn. de Sic. & Venef. Illi, qui thlibias faciunt in eadem causa sunt cum iis, qui castrant. L. 5. eod.

⁷⁰) ENGAU Elem. Jur. Crim. L. I. T. 33. §. 415.

⁷¹) §. 11.

⁷²) L. 38. §. 5. ff. de poen.



philtorum pendeat: de ea in sequentibus demum, quando de his sermo erit, dicturus sum.

§. XVII.

Dolo vel culpa committitur.

Quandoquidem non solum *dolo*, sed & *culpa* admittatur hoc delictum: consequens est, vel *meram* culpam, a qua omnis dolus absit, poenam, licet leviozem, mereri. Unde miror, BOEHMERUM 73) Areopagi iudices excusasse, qui mulierem, quæ amatorium poculum marito dedisse fertur, quo is perierat, penitus absolverunt, adeoque beneficiis refugium quodam modo aperierunt. Quod ad *dolum* attingit, eum a se declinare nequit vir, qui probare vult, se mulierem, cui poculum amatorium dedit, in uxorem ducendi propositum habuisse; aut vice versa mulier, quæ probare vult, se animum nubendi habuisse viro, cui philtum propinavit; quum ille, qui incium ac invitum violento remedio in sui amorem rapere studet, animo nocendi haud vacet.

§. XVIII.

Conficitur philtro.

Philtum s. *Poculum amatorium*, φιλτρον 74), *Philtre*, *Liebestranck* in *sensu stricto* vocatur remedium, quod ei, cui datur, amorem erga certum alterius sexus hominem excitare potest 75).

Philtro dari & veteres 76) & quidam recentiores

73) *Obs. III. ad Carpz. Q. XXI.*
74) α. φιλτρον *amare.*
75) ESCHENBACH *Med. leg. Sect. III. §. 24.* STENTZEL & WOLFF *Diff. de Philtro rite examinandis. Vitembergæ 1726. §. 2 & 8.*

76) De *Ægyptiacis* v. HELIODO-
RUS. *Lib. 3. Aethiop.* De *Babiloni-*
cis v. HERODOTUS *Lib. I. Hist. De*

Thessalicis v. JUVEN. *Sat. VI. v. 609.*

Hic magicos assert cantus, hic Thes-
sala vendit

Philtro, quibus valeant mentem ve-
xare mariti.

cf. HORAT. *L. I. od. 27.* OVID. *L. III. Eleg. 7. Amor.* Plura de philtro apud graecos præcipue exhibet POTTER



77) crediderunt, eorumque effectum, modo magiæ, modo consuetis naturæ viribus adscriperunt. Ad corpora, quibus veteres potissimum has virtutes adscriperunt, spectant *Hippomanes* 78), *τορξ* (*torquilla*) 79), *stellio* 80), *anguium ossa* 81), *vesperilionis sanguis* 82), *stergethron* 83), *mandragora* 84), & sexcenta alia.

Hæc tamen omnia ceu aniles fabulas multi derident, quibus facem præfert OVIDIUS 85), qui sic canit:

Fallitur, Aemonias si quis decurrit ad artes;

Datque, quod a teneri fronte revellit equi.

Non facient, ut vivat amor, Medeides herbae;

Mistaque cum magicis mersa venena sonis.

Phasias Aesonidem, Circe tenuisset Ulyssem;

Si modo servari carmine possit amor.

Hujus poetæ vestigia præferunt fere omnes medici, equibus HOFFMANNUM 86), HEBENSTREITIUM 87), & ESCHENBACHIUM 88) nominasse sufficiat. Quum itaque ex horum sententia sequeretur, nullum omnino corpus delicti in philtri porrectione adesse posse, de cujus tamen existentia, tanquam de quæstione præjudiciali iudex ante omnia certus esse debet; factum illud e foro criminali statim eliminandum esset. Verum enim vero verbis ludere, qui philtra dari negant, re ipsa non dissentire ab eis, qui talia dari statuunt, bene observat BOEHMER 89), quum omnes fere

Griechische Archæologie, aus dem Engl. übers. von Kambach, Halle, 1776. III. T. 8. L. IV. c. 10. T. II. p. 475. pag. 77) cf. QUERCETANUS *Dietet. Polibist. Sect. I. c. 5.*

78) Excrecentia carnosa in fronte equi nascentis, quam equa statim post partum devorat. ARISTOT. *Hist. Anim. L. VI. c. 17.* cf. BAYLE *Diff. sur l'Hippomanes in calce Diction.*

79) avicella. SUIDAS h. v. PIN-DAR. *Pythionic. od. 4. v. 384.*

80) lacerta species. PLIN. *H. N. L. XXX. c. 10. S. 49. Ed. Hard.*

81) PROPERT. *L. III. Eleg. 5.*

82) PLIN. *l. c.*

83) Planta. Idem *L. XXV. c. 13. S. 102. E. H.*

84) Planta. LEVINUS LEMNIUS *c. 2. Exptic. herb. bibl.*

85) de *Arte amandi L. II. v. 99.*

86) *Diff. de Les. ext. abort. ven. ac philtor. Obs. XVI.*

87) *Anthropopol. forens. S. II. m. 2. c. 2. art. 5. §. 17.*

88) *Med. leg. S. III. §. 25.*

89) *Obs. III. ad Corpz. P. I. Q. XXI.*



in eo consentiant, quod plura corpora, pro philtris dari solita, licet amorem erga *certam personam* conciliare non valeant; phantasiam tamen obnubilare, amores igneos & furorem ⁹⁰⁾ excitare, immo ipsam mortem ⁹¹⁾ haud raro afferre possint ac soleant ⁹²⁾. Hoc affirmat jam OVIDIUS ⁹³⁾:

*Nec data, canit, profuerint pallentia Philtra puellis;
Philtra nocent animis; vimque furoris habent.*

Idem fatentur modo citati HOFFMANN ⁹⁴⁾, HEBENSTREIT ⁹⁵⁾ & ESCHENBACH ⁹⁶⁾.

Concedi itaque potest iis, qui philtra dari negant, talia in *sensu stricto* forsitan dari nulla; attamen dubitari nequit, philtra dari in *sensu lato*, quo in sensu omnia medicamenta nociva pro philtris strictè sic dictis propinata, sub *Philtri* nomine veniunt.

§. XIX.

Effectus Philtri requiritur.

Effectum denique *requiri*, dubium non est; quum alias de *corpore delicti* haud constaret. Hinc ad delicti probatio-

⁹⁰⁾ *Caligula* amatorio a *Cesonia* uxore in furorem actus fertur. SUTTON. *in ejus vita.* c. 50. JUVEN. *Sat. VI. v.* 613. Quam infinita mala ex furore oriri possunt, experientia docet. Exemplum præbet inter alia Theologus quidam, qui, teste PETR. BORBELLO *Hist. Med. Cent. I. Obs.* 65. hausto philtro tanto furore correptus fuit, ut proprium occideret patrem.

⁹¹⁾ *Lucullum* Imperatorem clarissimum amatorio perisisse tradit PLINIUS *H. N. L. XXV. c. 3. S. 7. Ed. Hard.*

⁹²⁾ Ejusmodi philtra *venenata* vocat STENTZEL *Diss. cit.* §. 9. & 13. Pleraque eorum ad venena narcotica pertinent. Ejusdem farinae sunt, multa ex *apbrodisiacis* sive istis corporibus, quæ ad venerem languentem refuscitandam commendantur, quæque

exinde etiam *philtra* quandoque dicuntur. Cf. CHRIST. VATERI *Physiol. Experiment. Append. C. I. Q. 4. p. m.* 843-93) *de Art. am. L. II. v.* 105.

⁹⁴⁾ *Diss. de les. ext. Obs. cit. Medic. Consult. P. I. Dec. III. Cas. 8. & Med. Syst. T. II. P. II. c. 2. §. 10. p.* 178. ubi tradit, amorem insanum per philtra ex certis materiis parata in aliis excitari posse. „*Nec, que enim,* adjicit, *ex toto insuper, habenda sunt ille observationes, quæ de philtrorum noxa nos certiores reddunt.*” Immo ipse, sibi non contentus, vera philtra dari, aliquo modo concedere hoc loco videtur. Cf. *Ejusd. Diss. de Salvo. & ejus morb.* p. 11.

⁹⁵⁾ l. c.

⁹⁶⁾ l. c.

nem non sufficit amatorum propinatum esse; sed vel mortem, furorem, insaniam, amorem invitum, vel aliam fatitatis læsionem secutam esse oportet. Ex læsionis genere ac gradu constat, an ordinaria, an vero extraordinaria pœna locum habeat (§. 21. *ff.*). Ut autem iudex certo sciat, an effectus secutus dato philtro tribuendus sit; etiam in hoc delicto Medicorum responsis quam maxime indiget.

§. XX.

Pœna Juris Romani.

Qui philtum dant, eadem pœna plectuntur, quæ iis imminet, qui poculum abortus propinant 97). Scilicet, si nemo ex amatorio perierit: *humiliores in metallum, honestiores in insulam, amissa parte bonorum, relegantur.* Ut autem ordinaria hæc pœna locum habeat, non quamvis leviozem ac transitoriam læsionem sufficere, existimo; sed graviozem atque stabilem quodammodo, furorem e. gr. insaniam & similia requiri sentio; partim, quia ejusmodi effectus Romanorum tempore philtis in genere tribuebantur (§. 8.); partim, quod dicta pœna adeo gravis sit, ut parum distet ab illa *Veneficii dolosi* 98).

Quodsi homo perierit philtro: *ultimum supplicium* locum habet 99). Sub *ultimo* autem *supplicio*, cujus mentionem facit citata L. 38. §. 5. *ff. de pœn.* non indistincte mortem naturalem; sed *pœnam Legis Corneliæ de Sic. & Venef.* intelligendam esse videtur, quæ altiores ad *deportationem*; eos, qui in secundo gradu sunt, ad *gladium*; vilissimæ autem conditionis homines ad *bestias* damnat 100). Sententiam hanc duobus præcipue argumentis firmabo.

97) L. 38. §. 5. *ff. de pœn.* cf. §. 6. P. VIII. c. 2. §. 8. & 23.
h. Diff. & Diff. de *Venef. dol.* §. 11. 99) L. 38. *cit.*

98) v. Diff. mea de *Venef. dol.* §. 31. cf. FRID. ESAJ. PUFENDORFII 100) L. 3. §. 5. *ff. ad L. Corn. de de Culpa Comment. Lemgovie* 1741. 8. §. 5. & V. cf. Diff. cit. l. c.



I. Non probabile est, leges Romanas philtri porrectionem, tanquam veneficium *culpōsum* (*Præm.*) majori pœna afficere voluisse, ac ipsum veneficium *dolosum*; quod tamen accideret, si personarum altiori loco positarum non haberetur ratio.

II. Cum hac interpretatione egregie concordat *L. 3. §. 2. ff. ad L. Corn. de S. & V.* in qua dicitur, amatorium, quod hominis necandi *causam* ¹⁰¹⁾ habet, i. e. quod *venenum in sensu stricto* est, in *Lege Cornelia notari*. Hæc autem verba cum verbis finalibus *L. 38. §. 5. ff. de pœn. collata*, nullum alium sensum admittere videntur, quam hunc: „qui venena (*in sensu stricto*) pro amatoris pro-
„ pinant, iisque hominem interficiunt: pœna Legis
„ Cornelie plectendi sunt. ”

Quod ad philtra *magica* in specie attinet, de iis loqui videtur Imp. CONSTANTINUS in *L. 4. C. de malef. & mathem.* ubi severissimas pœnas hujus legis infractoribus infligi jubet.

§. XXI.

Pœna Juris Carolini.

De philtri propinatione nil diserte disponit C. C. C. BOEHMERUS in *Meditationibus*, quas in illam scripsit ¹⁰²⁾, gladium cum LEYSERO ¹⁰³⁾ dicitur ei, qui aliquem amatorio interemit, ob *intercedentem*, ut ait, *infimum doli gradum* ¹⁰⁴⁾. Nec LEYSERUS ultimum supplicium remittit, quamvis homo post aliquot demum annos ex isto veneno perierit; quod in PETRO LOTICHIO *Secundo* accidisse adnotat. BOEHMERI atque LEYSERI sententia ex jure Romano defendi potest ¹⁰⁵⁾; quod toties obtinet, quoties C. C. C. tacet.

¹⁰¹⁾ Sic enim legendum esse puto cum *evigata*. *Codex Florent.* habet *caussa*. Sed minus recte, ut mihi videtur, quum sensus contortus reddatur.

¹⁰²⁾ *ad C. C. C. art. 130. §. ult.*

¹⁰³⁾ *Med. ad ff. Sp. 609. m. 22. sq.*

¹⁰⁴⁾ BOEHMERUS sub *dolo* animum nocendi intelligit.

¹⁰⁵⁾ *L. 38. §. 5. ff. de pœnis* Licet pœna gladii LL. Romanis non ex asse conveniat (v. §. *preced.*) Moribus tamen hodiernis adæquata est, qui personarum discrimen in pœnis infligendis ut plurimum sustulerunt.



In alia omnia abeunt THEODORICUS ¹⁰⁶), CARPZOV ¹⁰⁷) atque KRESS ¹⁰⁸), qui, morte licet secuta, ultimum supplicium exulare statuunt, parum firmis, ut ipse KRESSIUS fatetur, argumentis suffulti.

Quodsi mors secuta non fuerit: proximam a gladio poenam recte dicitur LEYSER ¹⁰⁹). Cur autem hic auctor damnnum irreparabile requirat, non video, quum graviorem læsionem sufficere ex prioribus fluat.

Quicquid sit, hodie in praxi arbitrariam tantum, non mortis poenam obtinere, testatur PÜTTMANN ¹¹⁰).

§. XXII.

Quando pœna mitigatur?

Quemadmodum in aliis delictis rationes adesse possunt, quæ judicem ad mitigandam vel aggravandam poenam movere possunt; ita & in his facinoribus quandoque accidit. Sic indulgentiam meretur, tum, qui ob vehementiam amoris, summo melancholiæ gradu laborat ¹¹¹); tum, qui poenitentia ductus tempestive, quod fecit, indicaverit, ut auxilium ægroti ferri possit ¹¹²); tum etiam conjux, qui conjugii, ad incitandum conjugalem amorem philtrum propinaverit ¹¹³); tum denique, qui læsionem levioris momenti intulerit.

§. XXIII.

Quando pœna exasperatur?

Aggravatur crimen, si reus, infelici successu secuto, misere decumbenti non subvenit, rem gestam enunciando; vel auxilii ferendi occasionem dolose præciderit; si phil-

- 106) Colleg. Crim. Disp. 7. Tb. 7. N^o. 53. ZACHIAS *Quest. Med. Legal. L. II. T. I. q. 10. N^o. 48. sqq.*
 107) P. I. q. XXI. n^o. 14. sqq.
 108) ad C. C. C. art. 130. §. 3. PLAUTUS in *Pœn. act. IV. Sc. 2.*
 109) Spec. cit. m. 25. 112) THEODORIC. Colleg. Crim. D. 10. Tb. 4. lit. Q.
 110) *El. Jur. Crim. L. I. c. 22. §. 364.*
 111) CARPZ. P. III. q. CXLV. 113) CARPZ. P. I. q. XXI. n^o. 23.

trum adulterii committendi causa datum fuerit; si vilis ab-
jectæque conditionis homo principis vel alius in majori
dignitatis gradu collocati filix tale remedium præbuerit;
siquis denique philtorum præparationem ad publicam ar-
tem retulerit ¹¹⁴), & hujus generis alia ¹¹⁵).

§. XXIV.

Poculum odii & furoris. Philtra enthusiastica.

Quæ hucusque de poculo amatorio dicta sunt, fere
omnia quoque locum habent in *poculo odii* sive tali phar-
maco, quod amoris extinguendi atque odii excitandi causa
datur; absque discrimine, sive, quæ pro talibus dantur, re-
vera his virtutibus gaudeant, sive alio modo noceant. Il-
lorum mentionem faciunt PLINIUS ¹¹⁶), ORIGENES ¹¹⁷),
QUINCTILIANUS ¹¹⁸) alique auctores.

Idem dicendum est de *furoris & dementiae poculis* qualia
dari experientia testatur ¹¹⁹). Hujusmodi medicamentum
ideo datum, ne maritus uxorem adulterii posset accusare, memo-
rant *Leges Wisigothicae* ¹²⁰). Talis poculi propinationem
inter causas exheredationum refert JUSTINIANUS ¹²¹). Imp.
LEO ¹²²) maritum, qui uxorem in furorem egit, ut divor-
tium obtineret, attondere & monasterio inclusum nequitix
sux penas luere jussit.

Huc quoque referenda sunt *Philtra* quæ vocant *Enthu-
sastica*, quibus fanatici homines quandoque non mutuum
tantum inter se & inter alios, qui non ad illorum classem
pertinent, amorem conciliare, sed & Enthusiasmum in se
& aliis excitare, dicuntur ¹²³). Horum naturam, compo-
sitionem, modum quo agunt, atque diversas circa illa eru-

114) KRESS ad C. C. C. art. 130. §. 3.
115) STENTZEL Diss. cit. §. 16.
116) H. N. L. XXVIII. c. 8. S.
27. f. Ed. Hard. 27.
117) contra Celsum L. VII.
118) Declam. 15 & sq.

119) ZACHIAE l. c. q. 17.
120) Lib. III. T. 4. L. 13.
121) Nov. 115. c. 4. §. 5.
122) Nov. L. III.
123) Ex similibus medicamentis un-
guenta & alia remedia parata fuisse
videntur, quibus sage utebantur; at



ditorum opiniones fufe pertractat STENTZEL ¹²⁴), atque ea venenorum instar agere, ostendit.

Varia hæc pocula in eo tantum ab amatorii differunt, quod major plerumque illis doli gradus adsit, adeoque minorem indulgentiam mereantur.

CAPUT IV.

De porrectione cibi & potus corrupti.

§. XXV.

Cibus & potus per se corruptus.

Committuntur quotidie facta nociva, quibus magistratui quam maxime invigilandum est, ne quid respublica exinde detrimenti capiat; quæque in omni bene constituta civitate vel statuti prohibita sunt, vel data occasione legibus pœnalibus interdicuntur. Si prius obtinet, eos, qui talia facta admittunt, delinquere, dubium non est; si posterius, proprie quidem non delinquant; peccant tamen contra regulam generalem, quæ cuique civi prohibet vel dolo vel culpa alterius sanitatem lædere. Quodsi ejusmodi facta *venenis* in sensu *stricto* vel *lato* sumtis committantur: quid impedit, quo minus ea ad *Veneficium culposum* vel proprie vel improprie sic dictum referam?

Inter eos, qui tale veneficium culposum & quidem immediate committunt, refero primo illos, qui cibum aut potum vetustate, vitio interno aut simili modo corruptum propinant ¹²⁵); dummodo sanitatis læsio exinde secuta sit & propinantis culpa adfuerit e. gr. si lucrum fuerit causa impulsiva.

que hoc modo caput obnubilando sibi persuadebant, se per caminum iter fecisse, convenum in monte *Bructerorum* *Hocksberg* egisse, atque similia facta habuisse. Ex variis ejusmodi pharmacis unicum *semen Hyosciami* nominale sufficit.

¹²⁴) *Diff. cit.* §. 11.

¹²⁵) *HEBENSTREIT Anthropol. for. S. I. c. 2. §. 22. LEYSER Spec. 609. m. 28.* exemplum affert oeconomi, cuius fraude & improbitate a. 1677. duodecim convictores in academia *Lipienfi* interierunt, quemque gladio dignum censet.

*Cibus & potus per vasa corruptus.*

Altero loco huc refero famulos, qui cupri qualitatem norunt, & nihilominus vasa ex hoc metallo confata adeo imprudenter ac negligenter tractant, ut illorum venenum, viride æris puta, sese alimentis immisceat; quum integritatem familiarum vitam & sanitatem eo periclitari, experientia docuerit ¹²⁶).

Severius animadvertendum est in caupones, pharmacopolas, distillatores ¹²⁷) pistores & similes, qui debitam his rebus diligentiam non adhibuerunt; præcipue, si statuta loci vasorum cupreorum usum vel plane proscripserunt, vel in quibusdam tantum permiserunt, vel saltem stanno illa voluerunt esse obducta. Hoc ultimum *Argentorati* ¹²⁸), *Nanceji* ¹²⁹), aliisque locis obtinet. Talia statuta, si non modo feruntur, sed frequentiori examine & quidem improvisè instituto observantur, sanitatem satis tueri valent; dummodo personæ huic examini assistant, in quos non cadit avaritiæ suspicio.

¹²⁶) HOFFMANN in *Diff. de caut. & circumsp. venen. dat. accus.* §. 5. Recentem casum narrat BUCHHOZ *la nature consid. sous ses différens aspects II. Ep. n^o. 4. d. 29. Fevr. 1780. p. 176.* Plura ejusmodi exempla collegit quoque HUEBER *Diff. de aenea culinaria suppellectili Argent.* 1766. §. 3. Eo magis mirandum, quod ZIMMERMANN *Erfahrung T. II. p. 282.* refert: ELLERUM *Academ. Berolin.* ostendisse, vasa cuprea non tam nociva esse, quam vulgo creditur. cf. *Mém. de Berlin a. 1754. p. 3. sqq.* Tales autem conatus damnat SPIELMANN *Inst. Mat. Med.* §. 41. v. *Cuprum.*

¹²⁷) Spiritum vini, quo utimur quotidie, cupro sæpe inquinatum esse, & inde varios morbos produci, quorum causa ignoratur, experimentis

clare demonstrat PLOUQUET (*Wib. Gottfr.*) *Warnung an das Publicum für einen in manchen Branteweinen enthaltenen Gift samt den Mitteln es zu entdecken und auszuweichen.* Tübingen 1780. 8.

¹²⁸) Apotheker-Ordnung §. 37. Die Wasserbrenner, u. s. w. in Strasb. *Collegio Medico 1757. p. 34.* Verordnung eines Löbl. Policey-Gerichts. d. a. 1763. 28. *Novembr.* & Extract aus E. Löbl. Policey-Gericht memoriali d. a. 1764. den 2. April. contra H. . . und L. . . beide Pasterenbeck und Bürger; quibus vasa quedam cuprea conficata sunt, & multa imposta est. cf. quoque *Obrigkeitl. Verordnung den Kauf und Verkauf des Gists betreffend.* d. a. 1769. art. 18.

¹²⁹) BUCHHOZ l. c. *T. I. n^o. 1. d. 1. Janu. 1780. p. 27.*

Quod de vasis cupreis dictum est, & de aurichalco valet; nec vulgare illud præjudicium tolerandum est, quod, proh dolor! multis inhaeret hominibus, aurichalcum, similesque metallorum compositiones, quæ sub nominibus æhern (bronze) Tombac aliisque veniunt, innocuas esse; siquidem cuprum harum omnium basin constituere, notum sit ¹³⁰); licet merum cuprum citius viride æris producat, quam hæc compositiones ¹³¹).

CAPUT V.

De Medicamentis nocivis.

§. XXVII.

M. n. ab iis data, qui Medicinam non profitentur.

Veneficium culposum porro immediate committunt, qui medicamenta nociva, licet ad bonum finem obtinendum dant. De his *in genere* iusto severius statuit jus Romanum antiquius, uti ex PAULO ¹³²) constat; en ejus verba: *Si ex medicamine, quod ad salutem hominis vel ad remedium datum erat, homo perierit, is, qui dederit, si honestior fuerit, in insulam deportatur; humilior autem capite punitur.* Hæc autem sententia in *Corpus Juris Justinianæum* recepta non est.

Delictum hoc *speciatim* vel ab iis committitur, qui artem medicam *non profitentur*; vel ab iis, qui *illam profitentur*. Priori loco de *illis* nobis sermo erit. Huc pertinent,

¹³⁰) Multum quoque invigilandum est argenteæ suppellectili, quippe quæ ubique fere cupri societatem habeat; tum etiam stannæ, cui sæpe plumbum admisceri solet, quod in acidis, alcalinis & oleosis solutum ad *venena lenta* pertinet. v. Diss. nost. de *Venef. dol.* §. 4. & 6. cf. HOFFMANN Diss. cit. §. 8. SPIELMANN *Inst. Chem.* §. 67. *Recherches chimiques sur l'étain frites & publiées par ordre du gouvernement.* p. MM. BAYEN & CHAR-

LARD. Paris 1781. 8. p. 209. 254. & 270. Hæc stanni mixtio etiam in causa est, cur non indiffinè vasis aneis stanno obductis confidere liceat. Ne dicam, quod fabri ærarii sæpe cuprum vel plumbum stanno addant, si metallicam superficiem inducant. G. A. Hofmann *Unterricht in der Chemie, Metallurgie, Defonsmie etc.* Gotha 1774. 8. §. 310. p. 179. ¹³¹) HUEBER Diss. cit. §. 11. ¹³²) *Recepti, Sens. L. V. T. XXIII. s. ult.*

qui poculum ad conceptionem dederunt, ex quo læsio fe-
cuta est. De his ita disposuit *L. 3. §. 2. ff. ad L. Corn. de
Sic. & Venef.* Sed ex *SCto* relegari iussa est ea, quæ non qui-
dem malo animo, sed malo exemplo medicamentum ad conceptio-
nem dedit, ex quo ea, quæ acceperat, decesserit. Ubi sub
malo exemplo refugium, quod veneficio dolofo aperitur,
uti in *L. 38. §. 5. de pœnis* intelligendum esse autumo (§. 6).

Sequuntur nutrices atque famulæ audaces, quæ, suo
indulgentes genio, infantibus opiata 133) dosi magna, in-
scientibus parentibus in os illinunt, ne illorum quiritatu
in somnis, negotiis aut amoribus turbentur. Quo facto,
infantes ocys serius gravissimis sæpe corripiuntur morbis,
quos pallida mors haud raro sequitur 134). Eo periculosius
hoc delictum esse videtur, quod fere nunquam detegatur.

Hujus delicti reo, si crassa negligentia concurrat, pœ-
nam citatæ *L. 3. §. 2. ff. ad L. Corn. de Sic. & Venef.* dictari
posse non invitus concederem. Huic sententiæ favet NEME-
SIS CAROLINA, quæ *art. 134.* medicamentorum abufum
coërcet. Civitatis nostræ Magistratus quoque sapienti con-
filio sub multa prohibuit, ne obstetrices publice receptæ,
medicamenta interna absque Medicorum consilio ægrotis da-
rent 135). Quanto magis contra Legem hanc pœnalem pec-
cant nutrices & famulæ, quæ incitis Medicis, immo ipsis

133) Olim in nostra civitate quæli-
bet fere nutrix, quælibet infantium
custos opiata secum gestabat. *Tryphera*
magna præcipue utebantur.

134) De opiatis ita sentit. *Cl. SPIEL-
MANN Inst. Mat. Med. v. Opium.*
*Illud (Opium) sensum & motus mus-
cularis organa ita obtundere, ut eo-
rum functiones imminuantur, immo
aucta ejus dosi, sensus internos turbari,
musclos resolveri, lethali sopore oppri-
mi homines, per omnia secula annota-
tum fuit, ipsu hilaritas & audacia,
quas levior ejus quantitas assumpta in-
ducere solet, jam species delirii esse*

*videtur. cf. HOFFMANN Med. Syst.
T. IV. P. III. S. I. c. 1. de Epil.
§. 5.*

135) v. *Der Medicorum Ordnung*
§. 3. in Strassb. Coll. Med. p. 11.
Ordnung der Hebammen §. 25. &
Ordn. vor die in denen unter der
*Bottmässigkeit hiesiger Stadt ste-
henden Heimtern sich befindende*
Hebammen. §. 9. in vermehrt und
*verbessertter Ordnung des Hebam-
men-Meisters und samblicher*
Hebammen der Stadt Strassburg
1757. pag. 19. & 27.

parentibus, medicamenta nociva temere infantibus præbent?

Optandum foret, ut parentes ipsi de hoc abusu satis instructi liberorum salutem invigilarent. Utinam Medici & Chirurghi eruditi atque habiles obstetrices omnia inveterata præiudicia felici successu extirpare possent.

§. XXVIII.

M. n. ab iis data, qui Medicinam profitentur.

Postquam de iis locuti sumus, qui medicamenta nociva dant neque tamen Medicinam profitentur: nunc posteriori loco de iis ago, qui medicamentis nocent, licet properitis in arte medica haberi velint, & hanc artem profiteantur ¹³⁶).

Ut igitur delicta, quæ circa scientiam salutarem committuntur, bene dijudicari queant: quædam de statu hujus artis in genere præmittemus.

Apud Romanos olim *Medicus* erat, quicumque salutem ægrotantium succurrendi artem profitebatur; adeoque hæc vox *Chirurgos, obstetrices* & similes ¹³⁷) comprehendebat.

Peculiarem Medicorum sectam constituerunt Empirici ¹³⁸).

Aliam formam recentiori ævo Medicina induit. Nam Empirici nomen, quod olim honorificum erat, hodie ignominiosum est, & nemo *Medici* nomine condecoratur nisi ille, qui scientiam salutarem necessariis theoriarum atque praxeos subsidiis fultam didicit, atque ab arte peritis publice

¹³⁶ ZACHIAE *Quest. Med. leg. L. VI. T. I.*

¹³⁷ *L. 7. §. ult. L. 8. pr. L. 9. pr. & §. 1. ff. ad L. Aquil. L. 1. §. 2 & 3. ff. de extr. cogn.*

¹³⁸ Eurasiptan secta in Sicilia cepit & Acronem Agrigentinum, Empedoclis Phisici auctoritate commendatum, auctorem agnovit, teste PLI-

NIO H. N. L. XXIX. c. 1. S. IV. Ed. Harv. SUIDAS v. *Ἐμπειρ.* PLINIUS l. c. non bene de Empiricis, ut & de Medicina in genere sentire videtur. Contra CELSUS de *Medicina Præfat. p. 3. Edit. Lugd. Bat. 1665.* 12. Empiricos non mediocres viros appellat. Idem auctor Serapionem pro primo Empirico habet. cf. *quod. Pref. p. 8.*

ad hoc officium constitutus examinatus est 139). Quicunque autem his principiis Medico necessariis destituti, Medicinam tanquam artem facere conantur: e Medicorum ordine excluduntur & nominibus *Empiricorum*, *Medicastroorum*, *Agyrtarum*, *Uromantium*; Gal. Empiriques, Charlatans; Germ. *Pfischer*, *Quackſalber*, *Marckſchreyer*, aliisque notantur 140).

Definitio, quam de *Medico* adduxi plana esse videtur, & quæ nulla explicatione indigeat. Alteram, quam de *Empiricis* dedi, ulteriori examini subjiciam; ea potissimum ratione adductus, quod nullibi exactam de illis definitionem inveni; a qua tamen omnis decisio juridica pendet. Ex hac definitione patet: Empiricum I. Medicinam facere. II. Theoreticis & practicis principiis Medico necessariis destitutum esse. III. Medicinam tanquam artem exercere.

S. XXIX.

Medicinam facit.

Empiricus Medicinam facit. Sub voce *Medicina*, quæ hic in *sensu lato* venit, quo & *Chirurgia* comprehenditur 141), non ipsam Medicorum scientiam intelligendam esse, quilibet videt, ab ea quippe longe absunt empirici; sed illorum functionem & operationem corporis. Sic Medicorum instar ægros vident, vel ab iis visuntur, eosque de statu morbi interrogant; iis medicamenta præscribunt, dant, applicant;

139) Cf. Constitutio FRIDERICI II. Imp. in *Const. Sicul. L. III. T. 34.* apud LINDENBERGIUM Cod. LL. Ant.

140) De his agit eosque (in *sensu lato sumtos*) in tres classes dispesit KOECHLIN in *Diss. de Felicitate empiricorum medicastroorum diversa a felicitate veri medici.* Basilee 1775. §. 9. sqq. cf. BEHRENS *Selecta medica.* Francof. & Lips. 1708. 4. Sect. V. de *Curationibus Empiricis.*

Distinctionem inter *Medicos* & *Medicastroos* admittit C. C. C. art. 134. Illos vocat *Aerzte*, hos *leichtfertige Leute*, die sich *Arzney* *understehen*, und der mit *Feynem Grundt* *gelermt* haben.

141) *Medicis* autem in *sensu strictissimo sumtis* i. e. qui morbis internis curandis operam dant, non licet *Chirurgiam*, nec *Chirurgis* *Medicinam* in *sensu strictissimo sumtam* pro lubitu exer-

vulnera, ulcera, luxationes, obligant, fecant, reponunt. Qui talia agunt, in sensu juridico *Medicinam facere* dicuntur; licet ipsi forsitan *Medici* nomen sibi non tribuant 142).

§. XXX.

Theoreticis & practicis principiis Medico necessariis destitutus est.

Præcipua, quæ empiricum a Medico distinguit, nota; in eo consistit, quod hic *necessariis* ad artem, quam proficitur, *principiis* imbutus sit, quibus vel in totum, vel magna ex parte caret *empiricus*.

Illud etiam monendum est, quemcumque, qui Medicinam exercet, utut eruditissimum: in foro ut plurimum præsumi scientia medico necessaria destitutum; nisi per supra dictum (§. 28.) examen probaverit contrarium; quia in arte salutari nimis periculofum est, rempublicam eventu demum de ejus, qui medicinam facit, scientia, certiozem fieri 143).

§. XXXI.

Medicinam tanquam artem exercet.

Quum denique empiricus *Medicinam tanquam artem* exerceat, id est, gloriam vel opes Medicinæ exercitio quærat: sequitur, illis adnumerari non posse, qui amicis unum alterumve remedium dant seu suadent, cujus bonum effectum, vel ipsi, vel alii ex eorum amicis experti sunt, vel quod a Medico acceperunt. Multo minus ad empiricos

cere; si legibus separata sunt hæc munera. Hæc separatio in plerisque locis obtinet. Argentorati prohibitum est Medicis externa & Chirurgis interna remedia ægrotis dare. v. *Der Medicorum Ordnung* §. 2. in *Colleg. Med.* p. 10. & *Lenegerte und verbesserte Artickel eines Löbl. Corps Derer Chi-*

vurgorum oder Wund-Aerzte der Stadt Strasb. 1757. art. XV. 142) Cf. BAYLE *Dict.* art. *Borri.* 143) Inquisitio in has res vel ad delationem Medicorum aliorumque civium vel ad famam, magistratui ex officio, vel procuratori filii plerumque incumbit.

pertinent, qui homini in præfenti periculo, quod Medici auxilium requirit, confituito, pro viribus opem fert, fi Medici non fit copia ¹⁴⁴).

Propius ad empiricos accedunt, qui medicamenta quædam *arcana* absque magiftratus permiffu in vulgus vendunt.

Hæc de ftatu Medicinæ dicta fufficiant. Nunc de delictis, quæ circa medendi artem a Medicis & medicaftis committuntur, age difpiciam.

§. XXXII.

De delictis, quæ circa Medicinam a Medicis & medicaftis committuntur.

Ordo nunc requireret, ut primo de delictis agerem, quæ Medicis & medicaftis in genere *communia* funt, & tunc de delictis, quæ cuilibet horum in *specie propria* funt. Quum vero delicta, quæ a medicaftis committuntur, non nifi *culpæ gradu* ab illis Medicorum differant: de horum præcipue delictis fermo erit.

Medici vel *dolo* vel *culpa* circa artis fuæ exercitium peccant. Si *dolo*, qualis in Lege Cornelia requiritur, i. e. *animo necandi* delinquant: incidunt in crimen *Veneficii dolofi*, de quo alio loco verba feci ¹⁴⁵). Si *culpa* delinquant, tunc eorum delicta graviora vel leviora funt, pro diverfo culpæ gradu, quem admiferunt. Duplicis generis culpæ mentionem facit *C. C. art. 134. Negligentiæ Unfleiß & Imperitiæ Unkunft*. Hanc *lata culpæ* adferibunt Jcti ¹⁴⁶) ejusque probatio non valde difficilis eft. Illa autem, quum in facto confiftat & varios gradus habeat, ut *ofcitantiam, impatientiam, temulentiam* ¹⁴⁷), auda-

¹⁴⁴) In utroque tamen cafu ægrotum, quamprimum fieri poterit, ad Medicum ablegandum effe, fano ratio fuadet. Nifi ille, qui confilium dedit, de ejus bono eventu certus fit; quantum fcilicet humana fragilitas patitur.

¹⁴⁵) v. Diff. mea de *Venef. Dolof.* §. 10 & 34.

¹⁴⁶) BOEHMER ad *C. C. art. 134.* §. 3. cf. §. 7. *I. de L. Aquil.*

¹⁴⁷) Quam perniciofa fit ebrietas in perfonis, quarum curæ corpus noftrum committimus, haud ita pridem vidit



ciam &c: difficilius probationem admittit; præsertim, quod Medici, quorum consilium CAROLUS V. exigit, in reprobando morbos curandi methodo quandoque inter se discrepent.

Hæc ad culpam a Medicis admissam in genere spectant. Nunc præcipuas quæstiones rimabor, quæ huic materiæ lucem afferre queant.

§. XXXIII.

An Medicus possit veneno necare volentem?

Maximi momenti hæc quæstio est, quia ab ea pendet decisio quæstionis, *an talis Medicus ad veneficos dolosos, an vero ad culposos referendus sit?*

Secundum principia veterum quarundam gentium, quæ mortem miseræ vitæ præferebant ¹⁴⁸), quæstio proposita affirmanda foret. Quodsi saniorum jurisprudentiam sequimur: pro negativa nobis pugnandum esse, extra omnem dubitationis aleam positum esse videtur. *An vero medicus, qui volentem occidit, ultimo supplicio puniendus sit?* expediti juris non est. Affirmativa verior videtur argumento L. 4. §. 2. & L. 5. ff. ad L. Corn. de Sic. & Venef. Vi harum legum ii, qui *etiam volentes castrant*, pœna Legis Corneliæ plectuntur. Quanto magis ergo, qui *volentes necant*, ad Legem Corn. pertinent? Nec aliud evincit Nov. 142. in qua JUSTINIANUS pœnam talionis in genere dicitur iis, qui castrant. Nam, argumento ex hac Lege ducto, qui occiderunt etiam volentem, occidendi sunt.

Nullum dubium relinquit NEMESIS CAROLINA, cujus

civitas nostra in obstetrice, cujus temulentia mater una cum partu interiit. Sed meritas luit infelix mulier pœnas.

¹⁴⁸) Quantum prifæ quædam gentes ea in re indulserint, patefaciunt exempla *Cæorum*, apud quos consuetudo infirmos senes cicutam (plantam, qua *Socrates* periit) bibere iussit. AE-

LIAN. *Var. Hist. L. III. c. 37.* Νίμωσ Κίλων καὶ ἄ γαστρούων. *Masslienses* præparatum venenum publice custodiebant, quod dabatur ei, qui *causas Sexcentis* (id enim Senatus ejus nomen erat) exhibuit, propter quas mors sit illi expetenda. VALER. MAX. L. II. c. 6. ex. 7. 8.

art. 134. disertis verbis præcipit: *hett aber eyn Nrtzt sol- che tödtung willigklich gethon, so wer er als eyn für- sezlicher Mörde zu straffen.* Hæc verba tamen ob rationes, quæ crimen hoc circumstant, mitigantes, ex art. 137. C. C. C. verbis: *unn sonst auch gemelte entschuldigung 149) nit hat,* limitanda sunt, ut ita non rotæ, sed gladio locus sit. Neque nimis dura est hæc sententia; nam, rationibus jam allatis accedit, quod delictum hoc pessimi exempli sit, & hoc velamento fere omnia veneficia dolosa a Medico commissâ tegi possint 150).

Negativam sententiam tuetur KRESS 151) atque inter alia minoris momenti argumenta asserit, legem criminalem vix adduci posse, quæ pœnam capitalem irroget, in C. C. C. minimum nullam occurrere. Leges, quas ex Jure Romano allegavi, evertere studet illo potissimum argumento, quod ratio decidendi harum legum sit *facinoris*, ut ait, *noxietas & nefandi commercii species*, quæ *subest*. Sed oleam & operam perdidisse videtur; nam magis noxium est *occidere*, quam *virilia excindere*, & *nefandum commercium* non ratio decidendi principalis esse potuit *Legis 4 & 5 cit.* ut pœnam Legis Cornelie dicitaret; quoniam ei, qui commercium hoc fecit, levior pœna, quam illa L. Corn. dicitur in *L. 6. eod.*; reus nempe *pro parte dimidia bonorum multatur*. Veram decidendi rationem indicat JUSTINIANUS 152), quod nempe *sæpenumero e multis vix pauci evadant incolumes, usque adeo, ut quidam ex his, qui servati fuerunt, sub nostro aspectu deposuerint, e nonaginta agre tres servatos esse.* Cur autem KRESSIUS altum in C. C. C. silentium de hujus delicti pœna capitali deprehendat,

149) Quid sub voce *entschuldigung* intelligendum sit, CAROLUS V in sequentibus articulis explicat; ex horum articulorum nec verbis, nec rationibus, *excusationem* pro medico volentem occidente, quis exculpet. Sensus itaque art. 137. hic est: „qui non est latro, neque sequentes vel

„similes excusationes habet, gladio puniuntur.“ Atqui Medicus &c. Ergo. 150) Arg. L. 38. §. 5. ff. de poen. 151) ad C. C. C. §. 4. 152) Nov. 142. pr. Huic rationi favent quoque præcedentia verba cit. L. 4. §. 1. ff. ad L. Corn.

non video, quum verba *art. 134.* quæ allegavi, contrarium clare ante oculos ponant.

Ex dictis patet, multo magis ultimo supplicio puniendum esse Medicum, qui ægotum inconsultum veneno ex proposito necavit, quod de ejus salute desperaverit.

A quæstione tractata de Medico volentem occidente, differt illa quæstio: *An Medicus ex voluntate ægroti male curans, culpæ reus sit, eamque ob rem tam civiliter quam criminaliter conveniri queat?* Ejus analysi supersedere possum, quam fuse ac erudite eam tractaverit BASTINELLER (153) qui negativæ sententiæ impense favet. Duo præcipue allegat argumenta, quibus opinionem suam probet: alterum, quod jure civili (154) & canonico (155) permisum sit virilia excindere, ut quis gravi morbo liberetur; alterum, quod volenti, sive scienti consentientique non fiat injuria (156). Quicquid sit, equidem existimo, quæstionem hanc verbis generalibus propositam, vix exactam decisionem admittere; sed in quibusvis casibus obvientibus modo affirmandam esse, modo negandam, pro variis, quæ rem circumstant, momentis.

§. XXXIV.

Num Medicus, qui veneno tanquam medicamento usus, occidit, veneficii culpæ reus sit?

Quæstio proposita ab illa pendet: *An in genere licitus sit venenorum in Medicina usus?* Hanc quæstionem hodie, si non inutilem, certe tamen nimis fero institui, putat HAHN (157); postquam usus ille per multa secula vi-

153) *Commentatio juridica de Medico ex voluntate ægroti perperam curante.* Recula Vitenbergæ 1741. 4.

154) *Nov.* 142. c. 2. cf. *Comment. cit. §. ult.*

155) c. 5. X. de corp. vitiat. ordin. vel non. cf. *Comm. cit. l. c.*

156) *L. I. §. 5. ff. de Injur. l. 145. ff. de R. J. c. 27. de R. J. in 6. cf. Comm. cit. l. c.*

157) *Oratio de usu venenorum in Medicina.* Traj. ad Rben. 1773. 4. recuf. Lips. 1775. 8. p. 97. b. ed. In hac oratione auctor argumenti hujus historiam singulari eruditione atque elegantia tradit atque ostendit. Sec. XV. XVI. XVII. & nostro, quod ideo *toxicophilum* vocat, atrocissimorum venenorum in Medicina usum satis familiarem fuisse. Magnos, inter alia, patronos

guit; præsertim, cum idem etiam nostro ævo admodum sit frequens, multisque probatus & acceptus. Hinc quæstionis formulam mutandam, & potius inquirendum esse existimat: *Num ars medica venenis carere queat* (158)? Ad hanc quæstionem in calce operis ita respondet: *Possunt ergo venena prodesse, neque illicitus eorum usus haberi debet; sed scrupulorum & suspicionum & discriminis plenus est. . . Ingesta pharmaca extra potestatem medici sunt. Mirabilis partium, e quibus homo constat, consensus & sympathia difficultatem augment. . . Satius ergo est venenis omnino abstinere, quam frequenter & promiscue uti.*

De periculoso venenorum, *Arsenici* potissimum, in morborum curatione usu testantur quoque HEBENSTREIT (159), LEMERY (160), SPIELMANN (161) aliique.

Quodsi ergo, quæ dicta sunt, juridica expendamus trutina; propositam priori loco quæstionem, *Num Medicus, qui veneno tanquam medicamento usus, occidit, veneficii culposi reus sit?* affirmandam esse, vix est, quod dubitemus; dummodo ex Medicorum consiliis constet, incertum & vagis principiis innixum medicamentum venenatum adhibitum fuisse. Nec aliud pati videntur verba *C. C. C. art. 134. oder sich ungegründter unzureichiger arznei, die im nit gezimpt hat unverständlich.* Non ideo omnia experimenta cum venenis instituenda medicis Imperator penitus interdixit; sed justam requirit causam, quæ in sola necessitate quærenda est. Quum autem perdifficile sit, de necessitate certi quid constituere, & perquam rari sint casus, qui ultimum illud telum exigant (162): veneficii culposi præ-

Arsenicum (cf. *Diff. nost. de Venef. dol. §. 3.*) habuisse, adnotat; omnes autem, qui post hominum memoriam de medico venenorum usu scripserunt, excelluisse STEPHANUM WESPREMUM Pannonium, qui in *Tract. de inoculanda peste Londini 1755.* novum plane & inauditum de peste ipsis hominibus inoculanda consilium iniit, & cum spe utilitatis, publice propo-

nit. v. *Orat. cit.* p. 56. 65. 74. 78. 84. 90.

158) HAHN I. c. p. 97.

159) *Anthropol. forens.* p. 510. & 515.

160) *Mém. de l'Acad. R. des Scien-*

ces 1734. p. 264.

161) *Inst. Mat. Med. v. Arsenicum, Antimonium &c.*

162) HAHN I. c. p. 101 sq.

nam vix effugiet Medicus; nisi doctos Medicos, si illorum copia ei fuit, consultaverit.

Quæstioni tractatæ quasi comitem jungo aliam illi affinem: *Num Medicus, qui innocuis alias & salutiferis medicamentis, intempestive tamen datis, mortem affert, veneficii culposi reus sit?* Affirmare hanc quæstionem videntur verba *cit. art. C. C. C. daß er die Arznei leichtfertiglich und verwegentlich mißbraucht.* Hoc autem delictum ad medicastro propius spectare, quam ad Medicos, ex utriusque indole supra (§. 30.), indicata, prono alveo fluit.

§. XXXV.

De pœna veneficii culposi a Medico vel medicaastro commissi.

Antiquioribus Romanorum temporibus Medicorum imperitia summa impunitate gavisa est ¹⁶³). Postea Medicorum delicta extra ordinem coerceri cœperunt, uti ex *L. 6. §. 7. ff. de offic. præsid. L. 3. ff. de extr. cogn. & L. 3. §. 3. ff. ad L. Corn. de Sic. & Venef.* patet. Ratio allegatur in *L. 6. de off. præf. quia prætextu humanæ fragilitatis delictum decipientis in periculo homines innoxium esse non debet.* Huic rationi accedit, quod nemo se rei immiscere debeat ad se non pertinenti ¹⁶⁴); inprimis si ab ejus exitu salus hominum pendet.

CONSTITUTIO CRIM. CAROL. art. 134. *Straff so eyn Arzt durch seine Arznei tödtet,* pœnam arbitrariam Medico, inprimis autem medicaastro dicitur, qui culpa hominem medicamentis necaverit. Hanc pœnam in levioribus culpæ gradibus *multam* aut *suspensionem* ab artis exercitio esse; in gravioribus autem non ultra *relegationem* extenden-

¹⁶³) PLINIUS *H. N. L. XXIX. c. 1. S. 8. Ed. Hard.* Nulla, inquit, lex, quæ punit inscitiam; capitale nullum exemplum vindictæ. *Discunt periculis nostris, & experimenta per mortes agunt, medicoque tantum hominem necasse summa impunitas est.* Hæc ta-

men verba accipienda modo esse videntur de legibus penalibus. Etenim de actione civili ad damnum refarcendum loquitur jam LABEO in *L. 9. ff. ad L. Aquil.*
¹⁶⁴) *L. 36. ff. de R. I. c. 19. de R. I. in. 6.*

dam esse existimat KRESS 165). Consentit BOEHMER 166) ratione Medicorum, quod dignitas, qua plerumque pollent, & exceptionum copia, qua se tueri solent 167), gravio- rem poenam prohibeant. Contra *medicastro* vero etiam poenam corporis afflictivam admittit, ob evidentio- rem culpam, & deficientes rationes de medico allatas, inprimis, si non semel mors ab iis illata sit. Ob easdem rationes & difficultatem examinis post mortem aegri & de morbi statu instituendi, praxin harum poenarum intuitu vulgi frequentio- rem esse, quam intuitu Medicorum, idem observat auctor & tera medicorum culpam tegere dicitur.

Quae de procurata nece sancivit *cit. art.* ob similitudinem rationis ad *noxiam* quaeunque sanitati illatam recte extendunt KRESS 168) & BOEHMER 169). Prior exemplum adducit Medici, qui adhibitis remediis, quibus pestis tempore usus esse solet, rumorem falsum de peste grassante excitaverat. Illum arbitrarie punitum esse refert, suumque MERITO acclamat. Sed dubito an iuste damnatus sit, quum specifica contra pestem remedia inventa non esse fateantur magni nominis Medici 170). Poenam vero meritis est *malignus* iste, qui, teste KRESSIO, Medici illius formulas pharmacopoeae furripuerat, aliam in urbem miserat, & inde dicti rumoris causa fuerat.

In Gallia CAROLUS VI. jam seculo XIV. constituit; ut Medicorum imperitia iustis poenis coerceretur 171).

§. XXXVI.

Cura Magistratus circa Medicos.

Ex posteriori parte *art. 134. C. C. C.* Doctores curam exculpere solent, quae magistratui circa publicam constitu-

165) ad C. C. C. art. 134. §. 1.

166) ad C. C. C. cod. §. 3.

167) De praesumptionibus medico intervenientibus. v. KRESS ad C. C. C. art. 134. §. 5.

168) ad C. C. C. art. 134. §. 2.

169) l. c.

170) HOFMANN *Med. Syst. T. IV.*

P. I. S. I. c. 12.

171) ORDONNANCE DE CHARLES VI. du 17. Aout 1390.



tionem Medicorum incumbit 172). Hoc quidem magistratus officium non ex disertis C. C. C. verbis fluit; attamen intentioni legislatoris & principis bonæ politiæ ex affe respondet, quum ita, quod severissimis pœnis plus valet, ipsa mali scaturigo obturetur.

Romanis ab *Augusti* præsertim temporibus Medicorum constitutionem curæ fuisse, testantur innumera privilegia, quæ illis concessa erant 173).

Exemplum hoc & alias gentes secutas esse; testes sunt, quæ passim prostant *Ordinationes medicinales, Collegia medica*, aliaque statuta, quibus cautum, ut

Tonsor, caupo, coquus, lanus sua limina servent 174).

& ne quis in Medicorum ordinaem alicujus civitatis admittatur, nisi qui prius publicum eruditionis specimen ediderit, peritorum in arte examini se subjecerit, atque gradum Doctoris rite obtinuerit 175). Utilissimam curam circa scientiæ salutaris exercitium longe etiam ultra Europam extenderunt principes. Nam, cum homo libertate naturali pri-

172) KRESS l. c. §. 3. BOEHMER l. c. §. 4.

173) DIO CASSIUS *Hist. Rom. L. XLIII L. 6. §. 1. & 2. ff. de excusat. L. ult. ff. §. 5. de munerib. & honor. L. 6. & ult. C. de Prof. & med. L. 16. C. Theod. de Med. & Prof. L. fin. C. Just. cod. JAC. GOTTOFR. in Comment. ad L. 3. 12. & 15. C. Theod. cod. tit. L. 1. ff. de decret. ab ord. fac. cf. SYMMACHUS L. X. Ep. 40.*

174) MART. L. VII. Ep. 60.

175) Argentoratensis civitatis Magistratum a multis jam retro temporibus civium saluti optime consuluisse testantur sequentia Ao. 1334. *Meister Gutleben der Juden Arzt, erhielt von der Obrigkeit die Freyheit 6. Jahr alhier zu wohnen sambt Kindern und Gefind, und um daß er unsern Burgern und den Unsrigen mit seiner Meisterschaft zu Silbe Kommen soll, darum soll*

man ihme 300 Gulden geben von unserer Städte wegen vor die 6. Jahr in gewissen Terminen. vid. *Strasb. Ordnung. Buch ad b. a. Archiv.* Hec tamen, si dicendum quod res est, simul probant, raros illis temporibus in nostra civitate fuisse peritos Medicos. Qui enim, nisi urgente necessitate, Medicum Judæum Argentoratenses præmiis allicere potuissent; quum deploranda Israël progenies Argentiæ civibus adeo exosa fuerit, ut illam a. 1388. in perpetuum expulerint? ALBERTUS ARGENT. *Chron. p. 147. KOENIGSHOV. C. II. §. 212. C. V. §. 78. SCHOEPLINI Alsat. illustr. T. II. §. 636. p. 343. cf. Diss. nostr. de Venef. dol. §. 15. not. 93.* His accedit, quod Jus Canonicum sub gravissimis pœnis prohibet Christianis, Judæorum adhibere Medicos. c. 13. C. 28. q. 1. c. 16. X. de Judæis.



vatus, sepe illicita conquirat media, quibus se a servitute liberaret: servis Europæorum in America Medicinæ exercitium plerumque est interdictum 176).

Multis quoque malis, quæ ab imperitia & audacia oriuntur, obviam iri potest, si libros, qui de incertis atque periculosis medicaminibus agunt, lingua vernacula scribere aut in eam transferre, non indistincte permittitur 177).

Denique silentio prætermittendum non est utilissimum institutum Clementissimi Regis nostri, SOCIETAS puta, REGIA PARIENSIS MEDICA anno 1778 Litteris patentibus eum in finem creata, ut observationes, quas tum ipsa præfens & statis temporibus conventus agens societas, tum celebriores regni & exterarum gentium Medici fecerint, sedulo colligendo, omnium morborum, & præcipue epidemicorum causas diligentissime rimaretur. Huic quoque societati medicamentorum, quæ vocant, specificorum & aliorum, nec non aquarum mineralium & medicinalium examen & inspectionem Rex commisit 178). Eum in finem remedia, quæ suo examini subjecta fuerint, quæque vel approbavit,

Eidem curæ Patrum Patriæ adscribendum est, quod a. 1660 *Tarquinium Romanum* famosum agyrtam repulerint, qui sua contra præsentissimum venenum antidota jactaverat; revera autem fumum civibus vendendo, populari gloria decorari voluerat. v. cit. *Strasb. Ord. N. ad b. a.* Creato postea *Collegio Medico*, prodiit statutum de medicis; det *Medicorum Ordinum*, reculum in *Strasb. Colleg. Med. d. a. 1757. fol. p. 10.*

De Gallia vid. ROBERT. *ver. judic. L. I. C. 5.*

Ordinatione Blesensi cautam: que nul ne pourroit pratiquer en Médecine, qu'il ne fût Docteur en ladite faculté. v. L'ORDONNANCE DE BLOIS de 1579. art. 87. cf. Code de la Police ou Analyse des Reglemens de Police. *Trot. Edit. Paris 1761. 8. P. II. Tit. VIII. §. 2. fo.*

176) Servis Promontorii Hispaniæ, ne sub specie exercendæ artis medicæ veneno damnum afferant, medicamenta componere ac distribuere, nec non morborum, solo viperarum morfu excepto, curam suscipere, sub pena corporis afflictiva, imo & ultimi supplicii interdictum est. v. DECLARATION DU ROI sur les nègres qui composent des remèdes d. 1. Fevr. 1743. DECLARATION sur la garde des vénéfices. du. 30. Decembr. 1746. art. X. cf. EHRLÉN Diss. de servis Aethiopiibus Europæorum in coloniis America. Argentorati 1778. p. 61.

177) cf. BUCHOZ la Nat. consid. sous ses diff. asp. II. Ep. n°. 3. 15. Fevr. 1780. p. 133.

178) LETTRES PATENTES DU ROI portant établissement d'une société Royale de Médecine. Données à Versailles au mois d'Août 1778. Registrées

vel reprobavit, ut & quæ sibi non exhibita fuerint, & tamen cum laudibus venduntur, publice indicat 179). Ad tollendos denique innumeros, quæ in arte medica committuntur abusus hortatur, ut quivis eorum conscius eos Societati Regiæ indicet 180).

S E C T I O II.
D E V E N E F I C I O C U L P O S O
M E D I A T E C O M M I S S O

C A P U T I.

De iis, qui aëra inficiunt.

§. XXXVII.

Contagia hominibus infesta.

Veneficia culpofa multis atque variis modis *mediate* perpetrari possunt. Principem locum tenent, qui lanæ, pelliurum & aliarum rerum commercio furtivo, omnium venenorum maximum, funestam pestem in regionem quandam importaverunt; præsertim, si harum mercium advectio, ob

en Parlement le 1. Sept. 1778. De interna hujus societatis constitutione Rex dedit LETTRES PATENTES DU ROI portant Règlement pour la société Royale de Médecine. Données à Versailles le 1. Fevrier 1780. Registrées en Parlement le 25. Avril. audit an.

179) AVIS au public sur l'examen des Remedes pour lesquels on demande des permissions ou brevets. Paris 1778. SECOND AVIS au Public concernant les remedes pour lesq. &c. Paris 1779.

180) La Société invite ses Correspondants, & en général tous les citoyens zélés pour le bien public, à lui faire connoître les abus, qui pourront être

commis par les Empyriques, Operateurs & Distributeurs de Remedes dans toute l'étendue du Royaume. v. SECOND AVIS v. la fin.

Depuis son établissement, elle a fait tout ce qui a été en elle pour détruire le charlatanisme; ... elle prie les Médecins & Chirurgiens des Provinces ... de requérir auprès des Magistrats l'exécution de l'art. X. des LETTRES PATENTES (qui remedium a societate Regia non approbatorum distributionem prohibet) ... à la quelle leur justice ne se refusera point. v. AVIS sur la correspondance de la société Royale de Médecine, & sur les objets dont cette compagnie est chargée.

pestem aliquo grassantem prohibita sit. Dignus est talis, qui suo opere pereat. Eiusdem fere commatis est, qui a loco contagii suspecto vel terra vel mari adveniens legibus præstitutum tempus, quod 40 ut plurimum diebus absolvitur (*la quarantaine*), non expectat, sed magno civium discrimine posita claustra transcendit, vel merces transmittit. Hujus criminis rei pluribus in locis, pro re nata, quandoque morte puniuntur 181).

Alia quoque contagia, hominibus infesta, qui contra statuta poenalia inconsulte propagant, puniri debent. Curia Parisiensis suprema a. 1497 omnibus malo venereo laborantibus sub poena suspendii Parisiorum urbe interdixit 182).

Nostris temporibus *Bernensium*, *Lugdunensium*, *Audomarensium*, & *Divionensium* statutis cautum est, ne variolarum inoculationes intra urbem fierent, neve personæ variolis correptæ, ante 40 dies, in locis publicis ambularent, aut, si extra urbem degant, ne ante dictum tempus urbem ingrederentur, sub multa vel ab ipso reo, vel a parentibus, tutoribus, heris &c. solvenda 183).

§. XXXVIII.

Lues brutorum.

Eodem fere modo, quo humanum pestilentielle virus propagatur, brutorum quoque lues regioni cuidam infertur. Unde, si quo pestilentia in gregem incidit, prudentes vicini principes atque magistratus, pecorum, lanæ, pellium, lactis, butyri & similibus rerum commercia, pro re nata, sub poena restringere vel plane interdicerere solent 184). Et, quum pro-

181) vid. L'ORDONNANCE DE LOUIS XIV. du 8 Août 1713. Et le REGLEMENT du 20 Juillet 1752. concernant l'admission des vaisseaux étrangers. cf. Code de la Police. P. I. T. IV. §. 7.

182) v. l'Arrêt du Parlement de 1497.

183) Extrait des registres des Déli-

bérations de la chambre du Conseil Et de Police de la Ville Et Commune de Dijon du 25 Septembr. 1779.

184) Exemplo sunt *Conclusa Senatus Francofurtensis* ad Mœnum, de d. 30. Nov. 1776. d. 21. Oct. 1777. d. 25. Nov. ejusd. A. d. 8. Dec. ejusd. A. d. 24. Febr. 1778.



pagationem hujus mali per canes quoque fieri posse docuerit experientia: *Deputatio Senatus Francofurtensis* 185) sapienter constituit, canes extra civitatis mœnia absque domino vagantes necandos, & eorum dominos, si innotuerint, puniendos esse.

§. XXXIX.

Recens conclave.

Veneficium culposum porro committit caupo, vel alius, qui hospiti recens conclave calce viva, gypso vel simili materia nociva obductum dedit, ex quo ille periit, aut gravi morbo correptus est. Ita Imperatorem *Jovianum* 186) & *Q. Catulum* 187) periisse, fertur.

CAPUT II.

De iis, qui aquas, fontes &c. inficiunt.

§. XL.

De Romanorum temporibus.

Veneficium culposum sapiunt & eorum facta, qui publicas aquas, fontes, puteos, fistulas, lacus, castella quodve aliud usui oeconomico destinatum fimo, cœno, luto aliisque spurcant. Quodsi res hæc ad privatos spectaverint: interdicto *quod vi aut clam* tenentur rei 188). Si autem publicæ fuerint: in illos *extra ordinem* animadverti, leges Romanæ jubent 189).

In Gallia prodiit *Arrêt du Conseil* à l'état du ROI, portant défenses de faire entrer dans le Royaume des cuirs en verd ou préparés, venant des Ports de la mer Baltique ou de la Hollande du 7. Avril 1780.

185) d. d. 21. Nov. 1777.

186) EUTROP. L. X, c. 18. SOZOMEN. *Hist. Eccles.* L. VI. c. 6.

187) Q. CATULUS a C. MARIO

propter civiles diffensiones mori justus: recenti calce illito, multoque igni percussus cubiculo se inclusum peremit. VALER. MAX. L. IX. c. 12. CICERO *Tuscul. Quest.* L. V. c. 19. APPIAN. *de bell. civ.* L. I. p. 395. D. ed. Henr. Steph.

188) L. II. pr. ff. *quod vi aut clam.*

189) L. I. §. I. ff. *de extr. crim.* L. 12. C. de re militari L. XII.

Simili modo delinquant, qui cannabim in profuente rigando, non modo pisces necant 190), sed et brutis, quæ fiti compulsi ad talem rivum veniunt, quam maxime nocent. Immo ipsis hominibus haud leve periculum minantur virulenta illius aquæ effluvia; præsertim, si multos continet putrefactos pisces. Quod adeo verum est, ut Pestem quæ a. 1576 Venetiis sexaginta millia hominum prostravit, a putredine minorum piscium quorundam originem traxisse FORESTUS memoret 191).

Hinc in Alsatia pluribus de hac re Ordinationibus politicis saluti civium prospectum est a *Summis Rei Judiciariae, Politicæ & Aerariae in Alsatia Praefectis* 192). Novissima est, quam occasione damni, de quo modo diximus, a rusticis dati (not. 190.), tulit, qui hodie summo cum laude illo munere fungitur, Illustrissimus DE LA GALAIZIERE d. 12. Julii 1780. in qua priores ordinationes confirmavit & nova sanctione poenali munivit.

190) Hujus rei haud ita pridem triste exemplum in nostra provincia habuimus, quod multas pauperes piscatores in magnas rerum angustias adduxit.

191) *Observationum & Curationum medic. & chirurgic. Op. omn. T. I. L. VI. Obs. IX. N^o. 17.*

De noceo aquæ putridæ effectu jam loquitur GALENUS de Febr. different. L. I. c. 4. Apud Græcos certi quidam magistratus erant, qui aqueductuum curam gerebant *Ἐπιτάκται τῶν ὑδάτων* dicti; & alii, quibus puteorum inspectio commissa erat, *Καταβήταρες* vocati. Utrosque sub *Ἀγρονομία* comprehendisse asserit *Potier Archéol. 1^{er} §. 1^{er} Sup. 15. p. 173.* & citat HARPOCRAT. h. v. Hic locus tamen POTIERI assertum haud ex affe probat.

Zimmermann Erfahrung der Aegypten 2 Th. p. 211. narrat, *Cairi* in Aegypto pestem haud raro oriri vaporibus canalis per urbem ducti, in quem stagnans Nilus sese exonerat, & illius urbis incolæ omnis generis quaquillas dejiciunt.

In quantum cura aquarum hodie ad Medicos publicos spectat, ostendit *HEBENSTREIT Anthr. Korens. S. I. C. 2. §. 6.*

192) Tales dederunt præcipue *Mr. de BROU* le 24 de Juillet 1736. & *Mr. de LUCE* le 27 de Juillet 1761.

Seculo XIII. jam FRIDERICUS II. Imp. constituit: *Salubritatem aëris divano judicio reservatam, studio provisionis nostræ, in quantum possimus, disponimus conservare; mandantes, ut nulli a modo licet in aquis cujuslibet civitatis*



CAPUT III.

De iis, qui, dum veneno ad animalia nociva arcenda utuntur, hominibus nocent.

§. XLII.

Animalia per se nociva.

Ad eos nunc pervenimus, qui dum ad arcenda animalia nociva venenis utuntur, hominum vitæ vel fanitati damnum inferunt. Quæritur: *An licitum sit venenis uti ad necanda animalia nociva?* Respondeo: *licet*, dummodo illud non fiat cum damno alterius; quod variis modis contingere potest.

PRIMO enim toxico utimur ad ea animalia arcenda, quæ ab omnibus ut plurimum pro nocivis habentur; tales sunt *mures, glires, musseleæ, muscæ*, & id genus alia. Hæc quidem delere, non est, cur prohibendum sit, & qui hoc faciunt, suo jure utuntur. Attamen non omnia venena indistincte ubique adhibere licet; siquidem, quæ hominibus etiam, non solis animalibus venena sunt, hinc inde sapienti consilio ad hos usus adhibere legibus pœnalibus prohibitum est. Nee obscura est ratio hujus interdicti. Quædam enim venena, *Arsenicum* præcipue, male custodita, sæpe pro Sacharo, vel pulvere medicato hominibus propinata sunt (193). Sæpius etiam hæc pharmaca, ab ipsis, quæ delere volumus animalibus, postquam de iis comederunt, rostro vel pedibus cibis affricantur & admiscuntur, vel, apud pictores potissimum, tota quanta in farinam & similia vertuntur; quarum rerum innumera, proh dolor! funesta exempla prostant. His rationibus, haud levis momenti, per motus Civitatis hujus Regiæ Senatus censuit:

vel castri vicinis, quantum miliare linum vel canabum amittat & curiæ ad minus protenditur, linum vel canabum ad maturandum ponere, ne ex eo, prout pro certo didicimus, aëris depositio corrumpatur: quod si fecerit,

linum vel canabum amittat & curiæ applicetur. v. Const. Sicul. L. III. Tit. 35.
 193) HOFFMANN *Medic. consultat.*
Tom. I. p. 35. & 251.

»Jedermänniglichen wird verboten Arsenick zur
 »Tödtung des Ungeziefers zu brauchen, mithin weder
 »Muckenpulver, Rattengift, noch Rattenvürslein
 »damit anzumachen: indeme die größten Unglücke
 »daraus entstehen können; beneben deme andere
 »nicht so gefährliche Mittel zur Abtreibung des Un-
 »geziefers befindlich seynd.“ 194).

Hujus statuti transgressoribus multam, immo poenam cor-
 poris afflictivam Senatus interminat 195). Cautè etiam nostræ
Politiæ, ut vocant *Judicium* qualiscunque fere materiæ ad de-
 lenda animalia nociva venditionem agyrtis & aliis personis,
 data occasione denegat; quum experientia docuerit, istos
 homines sæpe adeo audaces esse, ut corpus quoddam, quod
 pro innocuo jactant, coram magistratu degustent, & in
 similibus chartulis dirissima hominibus venena in vulgus ven-
 dant. Quod eo majus crimen sapit, quod non solum tales
 homines magistratum decipiant, sed & cives in lethales ex-
 rores perducant.

§. XLIII.

Animalia ratione loci cujusdam nociva.

Altero loco venena quandoque usurpari solent ad ani-
 malia necanda, quæ non omnes pro nocivis agnoscunt;
 sed quæ tantum ratione hujus vel illius civis talia evadunt,
 e. gr. depascendo illius agros, semina &c. Ubi distinguen-
 dum est inter animantia, quibus vescimur, & ea, quibus
 ad custodiam, venationem, delendos incommodos cellarum
 hospites &c. utimur.

194) Obrißteiliche Verordnung
 den Kauf und Verkauf des Gifts
 betreffend d. a. 1769. art. 16. Quod si
 venenum contra mures atque glires
 adhibere necessitas, quæ perquam ra-
 ra est, suadet; *Nuce vomica*, sacharo,

carne aliisve rebus mista, toxicum loco
 uti possumus; de cuius bono effectu
 certiore me reddidit Cl. SPIELMANN.
 Cave autem ne canes aut feles hanc
 escam devorent.

195) cit Obrißf. Verordn. art. 19.



sug. Simplic. methodus §. XLIV. *Animalia quibus vescimur.*

Qui animalia, quibus vescimur, singula vel plura, quadrupeda vel volucra, fera aut mansueta necat, ut eos ab agro, prato, horto, vinea, silva, horreo, tecto &c. arceat, si venenis utitur homini non nocivis merum damnum patrimonio infert, quod actione civili locum facit ad illud refarciendum, & levi pœna pro facti natura & indole plectendus est. Huc pertinent e. gr. qui columbis vicini venena spargunt, ne coementum a tectis suis abradant.

Quodsi vero simul animus lucri faciendi accesserit; tunc ejusmodi factum in aliud delictum, scilicet in *furtum*, vel quandoque in crimen *venationis furtivae* (*braconner*) transit.

Quodsi autem toxica adhibita fuerint, quæ & hominibus læsionem minantur: insignior temeritas adest, quæ impunis esse non debet. Indulgentiæ tamen haud leve argumentum adest, si hominibus haud nocitum, licet plura occisa fuerint animalia; præsertim, si volucra modo interfecta fuerint, & reus crediderit, se corvos, milvos similesque aves necaturum esse. Nec in hoc casu gravius evadit crimen, si alii servitus pascendi competierit in tractu, ubi venenum quis sparfit. Ita judicarunt *Scabini Lipsenses*, qui in ejusmodi casu, relegationem ad 4 annos dictarunt, refarto damno atque refusis expensis 196).

De iis autem, qui non animo animalia arcendi, sed simpliciter nocendi vel plane necandi homines pascua inficiunt, jam alio loco verba feci 197).

Magnam quoque audaciam spirat, illius factum, qui teste *QUINCTILIANO* 198) veneno tinxit flores suos, ut apes alterius occideret; siquidem non solum animum habuerit alteri damnum inferendi, sed & sanitatem, immo vitam

196) LEYSER Sp. 609. m. 22.

197) v. Dill. mea de *Venef. dol.* §.

15 & 26.

198) *Declam.* 16.

hominum gravi periculo exposuerit, quum redeuntibus apibus, mel infici potuisset.

§. XLV.

Animalia quibus non vescimur.

Quod ad illa animalia attinet, quæ alimentis non inserviunt, inter alia lupi, vulpes, feles atque canes occurrunt; de quibus singulis quædam monenda sunt.

Et quidem lupos & vulpes, non modo cuilibet in sua domo veneno occidere licet; quin ratione luporum in multis locis præmia eis conceduntur, qui regionem ab illis liberant. Alia autem quæstio est: *An his bestiis, veneno in agris posito, insidias struere liceat?* Hanc quæstionem non facile affirmarem, immo argumentis ex legibus venationum ductis, illum poenis coercendum esse existimo, qui tale factum commiserit; quia canibus venaticis & feris, quibus vescimur, damnum exinde imminet. Nisi talis naturæ sit toxicum, quod solis fere illis bestiis nocet, aut aliud expresse permissum sit.

Feles & canes, si inde nemini injuria fit, qualicumque veneno occidere licet; dummodo in propinatione ejus caute procedamus; ne hæc animalia in furorem agantur, & inde infinita mala oriantur. Quodsi homo a furioso hoc animali morsus fuerit: factum per se licitum in delictum incidit. Nemo enim rei se immiscere debet, quam non intelligit, & de cujus exitu salus hominum pendet.

CAPUT IV.

De Veneficio culposo animalibus furiosis aut venenatis commisso.

§. XLVI.

Negligentia, qua circa animalia in rabiem prona committitur.

Vidimus in præcedenti §pho, Veneficii culposi reos

esse, qui per animalia veneno in furorem acta damnant. Eiusdem delicti reatum incurrunt, qui in custodiendis, nutriendis & curandis animalibus, quorum natura in rabiem prona est, negligentes sunt; si hæc animalia furore correpta hominem vel bruta, quibus vescimur, momorderint. Nam, ut de terrore taceam, qui ex morfu bestię, etiam non furiosę incutitur; periculosissimum venenum animale morfis a bestia rabida inferitur, quod immanem hydrophobiam, horrendę mortis præcursores, ut plurimum producit 199); atque multi sæpe cives in capitis vocantur discrimen. Hinc legislatores prudentes omni tempore operam dederunt, ut hæc mala præcaverentur.

Leges Mosaicę jam graviter animadvertunt in eos, qui negligentiam in cura & custodia animalium committunt 200). Idem apud Romanos præstabant *Lex Pefulania de Canē* 201) & *Edictum Edilitium* 202). Eundem scopum sibi proposuit CAROLUS V 203) dum nocentis bestię dominum eam removere iussit, atque pro momentis factum concomitantibus modo leviores, modo graviorem pœnam dictavit, si talis bestia hominem læserit, aut plane occiderit.

Hodie etiam vario modo in plerisque locis cautum est, ut civium vita ac sanitas contra animalium noxiorum in genere 204), & imprimis canum, impetum in tuto esset.

Scilicet, quum rabies canina, multis in locis grassaretur: Principes atque magistratus, edictis atque decretis caverunt, ut ii, quorum culpa canes in furorem acti, aut jam furiosi nocuerunt, iustis pœnis subiaceant. Quinimo, ut stirpem ac semen horum malorum extinguerent atque deleverent: varia sanciverunt, quę partim ad diminuendum

199) cf. Diff. nost. de Venef. dol. §. 3.

200) Exod. XXI. v. 29.

201) RITTERSHUSIUS ET SCHULTINGIUS in notis ad Sent. Rec. Julii Pauli L. I. T. XV. l. in SCHULTINGII Jurisp. Ante-Just. p. 252.

202) L. 40. L. 41. L. 42. ff. de

adil. edict.

203) art. 136. C. C. C.

204) Huc pertinet e. gr. quod ante paucos annos constituit Magistratus Argentoratensis, ne amplius urbem ingrederentur, qui urforum turpium saltu, panem sibi comparare student.

canum numerum, eorumque custodiam ²⁰⁵); partim ad furiosorum persecutionem ²⁰⁶); partim etiam ad hominum morforum curam spectant ²⁰⁷).

§. XLVII.

Negligentia, quae circa animalia venenata committitur.

Ad eos, qui veneno animali mediate nocent, pertinent denique *agrytae & circulatores*, qui venenatis serpentibus,

²⁰⁵) Ordinatione *Curiae supremae Manhemienfis*, ut & *Decreto Senatus Argentoratensis*, nemini, exceptis quibusdam personis, quorum conditio canes requirit, licet canes alere; nisi signum suis appendeant, haec pro 3 Libris Turronensibus, illic, pro 10 Imperialibus a magistratu concessio. Qui tale signum Argentorati non petierunt, canes suos manu ducere tenentur. Per *Ord. Manh.* porro lanionibus ultra duos canes habere non licet, & quidem in urbe alligatos aut extra eam ductos, praefixis, si illis ad agenda bruta utuntur, rostro capistris. Eadem *Ord.* majores canes (große Wind-Hej- und Fanahunde) privatae civilis conditionis hominibus penitus interdicti sunt. Denique canis furiosi vagantis dominus plectitur. v. *Verordnung der Kurpfälzischen Regierung von den J. 1759. 1766. renovata & aucta d. 19. Jul. Manheim 1779. art. 1. 2. 4. 5 & 14. Verordnung gnädiger Herren Râth und Rêin und zwanzig, der Stadt Strasburg. Die nöthigen Anstalten, so wegen denen mit Wuth befallenen Thieren zur allgemeinen Sicherheit vorzunehmen sind, betreffend. d. a. 1778. art. 3.*

Aliis locis, in pagis praesertim, rusticis injungitur, ut canibus suis futes alligent.

²⁰⁶) *Ord. Manh. cit. art. 15. & 16.*

cautum, ut, si canis furiosus aliquo vagatur: illud statim campanae signo civibus indicaretur, quo saluti prospicerent. Quo facto duo equites sclopetis armati ad persequendam bestiam emittuntur.

Argentorati quicumque civitatis aut banni incola de animali furioso vel suspecto aut de homine a tali bestia morfo certior factus, illud Consuli regenti (regitrenden Ammeister) indicare debet, qui pro ratione utilitatis publicae, quae respectu personae, canis & suppellectilis venenatae fieri debent, mandat. -Et, si forsan pauperum suppellectilem cremare fualerit prudentia: damnum magistratus compensat. v. *cit. Strass. Verordn. art. 1. & 4.*

²⁰⁷) Quod ad curam morforum atinet, Palatinus ille magistratus in pluribus civitatibus in *Den Kurfürstlichen Haupt- und samtlischen Oberamtsstädten*, certum locum designari iussit, in quo illorum fanitas ab imminente periculo liberaretur v. *cit. Verord. der Curpf. R. art. 18.*

Magistratus Argentoratensis quoque sapienti consilio adjacens civium nosocomio aedificium extruere curavit, ubi homines a canibus rabidis morfi Medicorum curae mandantur.

Methodus holce aegrotos sanandi publica auctoritate hinc inde prodit.





scorpionibus &c. damnum dant. Hos *extra ordinem* leges Romanæ puniunt 210).

CAPUT V.

De commercio illicito venenorum.

§. XLVIII.

Venena simplicia.

Ad Veneficium culposum pertinet quoque commercium incautum venenorum, quæ sua natura talia sunt, vel *simplicium* vel *compositorum*. De illis præcipue priori loco dicendum.

Apud Romanos venenorum malorum, *quæ nullo modo, adjectione alterius materiae usu nobis esse possunt*, non contrahatur emtio 211). Porro *SCto effectum est, ut pigmentarii, si cui TEMERE cicutam, salamandram, aconitum, pituocampas, aut bubrostin, mandragoram & id quod lustramenti causa dederint cantharidas, pœna teneantur Legis Corneliæ* 212). Ubi vocem TEMERE non de *animo necandi*, sed de quovis stulto & imprudente commercio intelligendum esse, recte observat BOEHMER 213); alias enim *SCtum* hoc inutile fuisset, quum Lex Cornelia jam eos, qui venenum *necandi causa* vendiderint, ordinaria veneficii dolosi pœna coërcuerit 214). Illud tamen temperamentum addendum esse existimo, quod ad effectum pœnæ ordinariæ requiratur, ut TEMERARIA venditio mortis causa sit 215).

— NEMESIS CAROLINA ad promiscuam veneni venditionem

210) *L. fin. ff. de extr. crim.* MATTHÆUS *de crim. L. XLVII. T. V. c. 4. p. 195.*

211) *L. 85. §. 2. ff. de contr. emt. vend.*

212) *L. 3. §. 3. ff. ad L. Corn. de Sic. & Venef.*

213) *Obs. I. ad Carpz. Q. XX.*

214) *Arg. L. 38. §. 5. de pan. quæ*

lex quoque de *temeraria* actione agit, atque etiam exceptionem a regula sistit. v. *Diss. mea de Venef. dol. §. 11.*

215) *Il. cit.* Hoc itaque *Sc.* ratione pigmentariorum exceptionem a regula generali sistit, quæ *animum necandi* ad effectum pœnæ ordinariæ Legis Corn. requirit.



impediendam, civitatum rectoribus injunxit, ut eos, qui toxica vendunt, jurejurando obstringant, ne ignorante magistratu venena privatis vendant. En verba Legislatoris:

Item es sollen auch alle Oberkeyten an jeden orten, die Apotheker und ander so gift verkaufen, oder damit handtiern, in glübt und Lydt nemen, das sie niemant eynig gift verkaufen noch zustellen, ohn anzeygen und vorwissen erlaubung derselben Oberkeyt. 216).

In Gallia Arresto Curiae Supremae Parisiensis 217), & paullo post Edicto Regio 218), haud ita pridem Declaratione Regia 219) confirmato, indistinctum veneni commercium interdictum est. Hujus Edicti Art. VI. cautum: *Défendons à toutes sortes de personnes, à peine de la vie; même aux Médecins, Apoticaire & Chirurgiens, à peine de punition corporelle, d'avoir & garder de tels poisons simples ou préparés, qui retenant toujours leur qualité de venin, & n'entrant en aucune composition ordinaire, ne peuvent servir qu'à nuire, & sont de leur nature pernicieux & mortels. Art. VII. A l'égard de l'Arserie, du Réagale, de l'Orpiment & du Sublimé . . . Nous voulons . . . qu'il ne soit permis qu'aux Marchands qui demeurent dans les villes, d'en vendre, & d'en livrer eux-mêmes seulement aux Médecins, Apoticaire, Chirurgiens, Orfèvres, Teinturiers, Maréchaux & autres personnes publiques, qui, par leurs professions, sont obligées d'en employer; lesquelles néanmoins écriront, en les prenant, sur un registre particulier, tenu pour cet effet par lesdits Marchands, leurs noms,*

216) C. C. C. art. 37. Excusationes, quae pharmacopolis noxia vendentibus praesto sunt, assert BAJARDUS ad Quest. 68.

217) Arrêt du Parlement du 27. Fevr. 1677. v. III. Vol. du Journal des Audiences L. II. ch. 9. cf. l'Arrêt du Parlement du 3. Mars 1732.

218) EDIT DU ROI pour la punition de différens crimes de 1682. art.

6 & seq. cf. Arrêt de Règlement au sujet des poisons. Extrait des registres du Conseil Souverain d'Alsace, du 10. d'Avril 1710. & alind du 28. de Févr. 1719. Recueil d'Ord. d'Alsace nouv. édit. T. I. p. 390. & p. 532.

219) DECLARATION DU ROI concernant les Empoisonneurs du 14 de Mars 1780.

qualités & demeures, ensemble la quantité qu'ils auront pris desdits minéraux &c.

Nec deficiunt leges atque statuta particularia, quæ in-consultis veneni venditionibus obicem posuerunt.

Seculo XV ²²⁰) jam Argentoratensium statutis cautum est, ne venena nisi hominibus integræ famæ & nemini ad mures delendos venderentur. A. 1558 hæc prohibitio renovata est ²²¹). A. 1694 cautum, ne quis, nisi pharmacopola sit, venenum carptim (*en détail*) ære commutaret ²²²). Auctius & emendatius statutum prodiit a. 1769. quo omnibus & singulis, immo ipsis pharmacopolis ex laudabili eorum consensu merorum venenorum inprimis Arsenici commercio in posterum interdictum est; adeo, ut, qui contra hoc præceptum peccat, accusari atque pro re nata multa immo poena corporis afflictiva plesti possit. Excepti sunt duo pigmentarii (*Materialisten*), quibus sub certis conditionibus pharmaci venditio exclusive permissa est ²²³).

Huc quoque pertinent prohibitiones factæ, cum in Ordinationibus *Norimbergensi* Medicorum ²²⁴), *Luneburgica* ad pharmacopolas ²²⁵) directæ, & *Magdeburgica* politica ²²⁶); tum in statutis *Francosfurtensibus* ²²⁷) aliarumque civitatum ²²⁸).

§. XLIX.

Venena composita. Mangonia nociva.

Hæc potissimum de venenorum simplicium commercio.

²²⁰) vid. Statutenbücher oder Sammlungen. T. XXIV. fol. 38. & T. XXVIII. fol. 244. Straßb. Archiv.

²²¹) v. XXI. Memorial ad h. a. p. 14. 15. 50. Ibidem.

²²²) v. Karls-Protocoll. ad h. a. p. 1162. Ibidem.

²²³) Obrigkeitliche Verordnung den Kauff und Verkauf des Giftes betreffend. Decret. bey Gnädigen Serren Rath und XXI. den 11.

Decembr. 1769. art. 1. II. & ult.

²²⁴) d. a. 1595. n^o. 38.

²²⁵) Lüneburgische Apotheker-Ordnung d. a. 1606. c. 4.

²²⁶) Magdeburgische pollicei-Ordnung c. 4.

²²⁷) d. a. 1668. renovat. a. 1713. & 1753.

²²⁸) cf. THOMAS. de jure pharmacopol. BEYER ad C. C. C. art. 37. T. 35.

Idem dicendum de venenis *compositis*. At nis tamen prope discernendæ sunt illæ compositiones, quibus vera venena corriguntur, atque in utilissima medicamina transmutantur (229). Huc e contrario referendæ sunt illæ compositiones, quibus res innocuæ atque salutares venenorum admixtione adeo mutantur, ut sanitati interitum parent. Hujus farinae sunt præcipue *Mangonia nociva*.

Mangonia sive mercium adulterationes qualescunque, si lucri faciendi causâ factæ fuerint, illicitas esse, nemo facile inficias ibit; quia cum damno alterius locupletiolem fieri, sine justa causâ non licet. Quodsi hæc facta vitæ vel sanitati interitum minantur: ad veneficia culposa optimo jure referuntur. *Venenata* ejusmodi *Mangonia* innumera hominum excogitavit avaritiâ. Ex hoc fonte inexhausto, quædam præcipuorum exempli loco in medium proferre liceat.

Quis ignorat, vina mille modis à nequam & improbis genopolis adulterari (230)? Carthaginenses & Romani *Calce* & *Gypso* vina corrumpebant. Iisdem & hodie Hispaniæ mercatores atque servos Barbariæ uti, refert JOH. BECKMANN (231). Cave autem, ne hocce mangonium, cum illa encheireli confundas, qua, teste SPIELMANNO (232), in regionibus calidioribus uvas contusas, ante expressionem calce viva obtegunt, ut, aqua imminuta, fermentationis justo major ob fervidum cælum impetus imminuatur. Pessimum omnium vini mangonium, illud est, quod ex Lithargyro aut alio

229) Sic e. gr. *Mercurius corrosivus*, vehementissimum venenum, certo modo compositus, innocuum, quin saluberrimum medicamentum præbet. Idem de *Opio* similibusque pharmacis dicendum. cf. SPIELMANN *Mat. Med. his vocibus* IDEM & EHRMANN *Diff. de Hydragryri preparatorum internorum usu*. Argent. 1761. TRALLES *Ufus Opii*. Cautelas, quas Leges Gallicæ in compositione medicamentorum, quibus venena admiscenda sunt, re-

quirunt, exhibet *art. IX. cit. Editi d. a. 1682.*

230) Qui bella scilicet hæcce artificia cognoscere cupit, adeat libellos MStos, qui a patre ad filium, tanquam preciosissima quandoque arcana, apud multos vini mercatores transeunt, quosque vulgo Weinbüchlein vocant.

231) *Beiträge zur Geschichte der Erfindungen*. II. St. Leipz. 1781. 8. II. Auf. S. 179.

232) *Inst. Chem. Exp.* 125.

præparato plumbeo conficitur, atque horrendum colicarum genus, *Colicam Saturninam* producit, quam Galli *Colicam Piétonum* (*Colique de Poitou*) 233) vocant. Morbum huac ita, ut seculo præterito in Suevia sæviit, describere GOCKEL 234), JÆGERSCHMID 235) aliique. Docimasiam, signa, causas & noxam vinorum ita infectorum ZELLER & WEISSMANN 236) MATTHISSEN 237), STRUVE 238) & haud ita pridem WOLLIN 239) atque ROZIER 240) exhibuerunt. Initio Seculi nostri curia suprema Alsatiae pœnam arbitrariam dictavit ei, qui vino rubro, quod *Solano* (de la Morelle *Waldnachtschatten*) adulteraverat, homini mortis causam dederat 241). Historiam vini corruptionum tradit BECKMANN 242); ubi inter alia narrat: antiquissimam, quam novimus, Germaniæ legem contra Lythargirii mangonium a. 1475 latam esse. Sed jam annis 1327 & 1384 in Belgio periculossissima mangonia *Vitriolo*, *Mercurio* & *Lapide Calaminari* facta, prohibita esse, idem testatur auctor, & addit, similem quoque sanctionem a. 1371. in Gallia prodidisse. Num malitia eo usque jam processerit, ut & *spiritus*, quos vocant, *ardentes* plumbeis præparatis corrumpere, sese ignorare testatur PLOUCQUET 243). Quodsi factum esse suscipia-

233) Quia ibidem valde grassata est, ignorata per quoddam temporis spatium, vera hujus morbi causa; que in plumbeis instrumentis latuit, quibus Piétones vasa torularia instruebant cf. ZITESIUS de *Colica Piétonum*.

234) Curieuse Beschreibung des im J. 1694. 1695 und 1696. durch das Silberbleit versüßten sauren Weins und der daraus entstandenen und vormalis unehörten Wein-Krankheit. Ulm 1697. 8.

235) Tr. de *Colica Spasmodica* & *parese* ex vino, sive detracta mercurii larva, sub Schenone lithargirii. Giengen 1698.

236) Diff. sistens *Docimasiam* Sc. vini lithargyro mangonifati variis exper. illustr. Altorfi 1721.

237) Diff. de *vinis lithargyro infe-*

ctis ex colica paretico convulsiva ex haustu eorundem oriunda. 1745.

238) (Heinrich) von der Prüfung der mit Blei versüßten Weine. In der ersten Forties. des *Hannoverschen Magazins* v. J. 1779. II. Band 2tes St.

239) Von der Verfälschung des Weins mit Bleigalt. Altona 1778. 8.

240) *Journal de Physique* T. III. P. I. p. 114-133. Eandem rem in compendio exhibet Crell *Chemisches Journal* 6. Th. Lemgo 1781. 8. III. n. 16.

241) Arrêt de règlement du *Conf. Souv. d'Alsace* du 2 Sept. 1718. *Rec. d'Ord. d'Als.* nova. ed. T. I. p. 527.

242) Beiträge zur Gesch. der Erfind. II. St. II. Auf.

243) Warnung an das Publicum. (nota 127. h. Diff.) p. 41.

retur, ad consuetam plumbum in vino detegendi experimen-
ta recurri iubet.

Illis, qui vina adulterant, non multam ab similes sunt,
qui, quod in nostris regionibus saepe fit, ut vile vinum
dulce atque gratum per aliquot menses hospiti- bus propinare
possint, recens mustum majori dolio ita infundunt, ut sin-
gulis amphoris per intervalla ingestis, accenso more vieto-
rum sulphure (Saffbrand), fauces obturent, sicque magno
sanitatis detrimento fermentationem cohibent.

Gravior censura vexare debet cerevisiarios & caupones,
qui acceſcenti cerevisiae cinerum sal, quod *Alcali* a chemi-
cis vocatur, nimia quantitate immiscent; cujus vis tanta
est, ut, qui talem cerevisiam biberunt, sanguinem mingant,
articulorum doloribus, aliisque morbis corripiantur 244).

Mala fraude solent etiam herbas temulentas incoquere
avari 245).

Perniciosa encheiresi, qua praeparatis plumbeis vina
venenant pecuniarum accipitres, nostro aevio varia olea,
lini potissimum & *napi* eo adducere tentarunt; ut oleo
olivarum redderent, quam simillima. Hoc tamen artifi-
cium, quod in *Collect. Wratislav.* 246) laudatur, & Parisiis
quoque in usum trahi coepit 247), ob pessimos, quos edere
possit, in corpus humanum effectus, cum NEUMANNO 248),
atque REAUMURO 249) damnat SPIELMANN 250), cui acce-
dit LEHR 251), qui etiam methodum tradit, qua fraus ista
detegi queat.

Unius adhuc mangonii mentionem faciam, cujus effe-

244) HEBENSTREIT *Anthropol. for.*
S. I. c. 2. §. 17. cf. HOFFMANN
Diff. de cant. & circumsp. venen. dat.
accus. §. 14. Huc autem non pertinet illa
encheiresis, qua paucis guttis solutio-
nis alcalinae vina corriguntur.

245) HEBENSTREIT l. c.

246) *Tentam. XXXI. p. 208.*

247) REAUMUR *Mém. de l'Acad.*
Royale des Sciences 1746. p. 495.

248) *Miscell. Berolinens. T. IV. p. 321.*

249) l. c. Ce secret, inquit, a eu
de facheuses suites pour ceux, qui
avoient cru acheter à bon marché, & qui
avoient acheté trop cher ces huiles adou-
cies; les funestes effets qu'elles produi-
sirent sur quelques-uns de ceux, qui en
mangerent, sont rapportés dans les Ephé-
mérides des Curieux de la Nature.

250) *Inst. Chem. Exp. XVI. p. 92.*

251) *Diff. Botan. Med. de Olea Eu-
ropae. Göttinge 1779. §. 41. sq. P. 54.*

atque ipse vidi. Nimirum sana atque robusta puella pulverem crinalem (*Puder, poudre à poudrer*) vulgarem emit; & postquam eodem die depurandis ornandisque operosa capillis, pulvere illo caput inspererat: crastina die illud totum fuit exulceratum. Suspiciatus mangonium, in arte peritos consului, qui memet certiore reddiderunt, huncce pulverem quandoque calce viva vel similibus rebus infici. Paulo post in manus incidit REUSSII ²⁵²), libellus, in quo hic auctor idem affirmat, & de perniciosis talium mangoniorum effectibus testatur.

Hæc de mangoniis nocivis sufficiant ²⁵³). Quandoque ignoranter rebus innocuis venenum immiscetur; eaque in vulgus venduntur. Sic e. gr. *Fungis* bonis quandoque virulenti, *Petroselino* & *Cerefolio Cicuta* immiscetur. Quum autem hic rarius culpa concurrat, hæc actiones a foro pœnali fere semper absunt. Nihilominus tamen inspectioribus harum mercium impense commendanda sunt.

CAPUT VI.

De commercio rerum corruptarum morbo, vetustate &c.

§. L.

Alimenta.

Ultimo loco de iis dicturi sumus, qui *alimenta* vel *medicamenta* sua natura innocua, sed morbo, vetustate, fermentatione aut alio modo corrupta, scienter pro bonis vendunt. Hoc *Veneficii culposi* genus valde periculosum est, quum & sani & ægroti, illi, dum vires reficere, hi, dum corpus sanare cupiant, contrarium plane obtineant. Inter eos, qui corruptis alimentis venenant, eminent, qui annonam,

²⁵²) Medicinisch Oekonomische Untersuchung der Eigenschaften und Wirkungen eines ächten und verfälschten Puders &c. Tübingen 1781. 8.

²⁵³) Qui plura mangonia noscere

cupit, adeat librum cui titulus: *Les secrets & les fraudes de la chymie & de la pharmacie modernes dévoilés. à la Haye 1759. 8.*

panem, carnem, fassamenta, olera, vina, dicto modo corrupta vendunt; de quorum venenata vi testantur Medici 254).

Optimum ad hæc mala præcavenda remedium esse sollicitam alimentorum inspectionem senserunt jam olim græci, qui propterea particularibus quibusdam Magistratibus Σιτωπαι & Ἀγορανόμοι 255) dictis, harum rerum curam demandarunt.

Illius gentis exemplum ex parte secuti sunt Romani, dum *Ædiles* 256) atque *Præfectos urbi* 257) his mercibus præposuerunt. Optimo jure tamen miratur LEYSER 258), Romanos justum pretium magis curasse, quam mercium bonitatem. Parum esse putat, quod in *L. 1. C. de canone frumentario urbis Romæ L. XI.* præfecti frumentum, quod provinciales populo Romano alendo conferebant, eo tempore, quo ad urbis portum pervenit, adspicere, ne quid in eo sit vitii, jubeantur; si cum immani illo privilegio comparatur, quod fisco res vitiosas impune vendere permittit in *L. 1. §. 3. ff. de Ædilit. edict.* quin etiam jubeat in *L. 1. C. de conditiis in publicis horreis L. X.*

Hodie alimentorum curam ad eos magistratus spectare; quibus *Politia*, ut vocant, commissa est, vix est quod moneam.

Eum, qui, alimenta vitiosa vendendo, hominis neci causam dedit, si ille scivit vel scire debuit, istam rem morbos gignere: argumento *L. 38. §. 5. de pan. L. 15. pr. ff. ad L. Corn. de Sic. & Venef. & c. ult. de homicidio in 6. ad gladium damnat LEYSER 259).*

254) THOMAE REINESII *Schola Jctorum medica. L. I. Sect. IV. de vitiiis eduliorum præcavendis. p. 124. sqq.*

255) THEOPHRASTUS de *Legibus. cf. Donders Archæol. 1. B. Rav. 15. T. I. p. 171.*

256) *L. 2. §. 21. ff. de orig. jur.*

VARRO de *lingua Lat. IV. p. 20. cf.*

HEINECC. *Antiq. Rom. L. I. T. II. §. 26.*

257) *L. 1. §. 11. ff. de offic. præf. urb.*

CASSIOD. *Var. VI. 18. cf. L. Turcii Aproniani, Præfecti urbis Edictum, de venditione carniæ, & alterum de suariis & ordinibus, qui suariam faciunt.*

& HEINECCII ad illa observationes, in *Ejusdem Opus. post. Haleæ 1744. 4. T. I. L. I. c. 5. §. 6. sqq. pag. 58.*

258) *Spec. 609. m. 28.*

259) *l. c.*

Eidem sententiæ adtipulor ratione ejus, qui *scivit* alimenti vitiosi effectum; non tam ob leges a LEYSERO citatas, quam quia animus nocendi adest, cum improbo lucro conjunctus; adeoque, homine necato, reo non inservire potest excusatio, quam requirit *C. C. C. art. 137. §§. ut homicida a pœna gladii absolvi possit*. Non idem valet de eo qui modo *scire potuit* malum effectum alimenti corrupti; quia hoc in casu sola culpa subest.


Quodsi is, qui alimenta vitiosa vendidit, nemini nocuerit: ad pœnam tamen corporis afflictivam quandoque procedi posse, censuerunt *Jenenses*; dum lanionem, qui sciens infectas oves mactaverat vendideratque, sed iis nemini nocuerat, ad fustigationem damnaverint ²⁶⁰).

§. LI.

Medicamenta.

Quod ad medicamenta corrupta attinet, in omnibus bene constitutis rebus publicis statutis cautum est, ut pharmacopolia ab artis peritis, vel statis temporibus vel improviso visitarentur, & quæ corrupta sunt medicamina statim rejicerentur ²⁶¹). Quodsi autem vitiosis medicamentis vitæ vel sanitati hominum sua culpa nocuerit pharmacopola; veneficii culposi reus est, & pro re nata punitur.

²⁶⁰) *Kobrs Haush. R. P. I. p. 904.* In *Codice Politicæ* supra (not. 175) citato *P. I. T. V. §. 2. n^o. 2.* sequentia leguntur: *Les bouchers ne peuvent exposer en vente aucune bête morte de maladie, ou atteinte de ladverie. ni en debiter les chairs, non plus que de mouton qui ait le claveau. A cet effet les Jures doivent faire leurs visites, tant dans les tueries, que dans les boucheries, Et faire rapport des contraventions aux Juges de Police. & n^o. 3. Quand la ladverie des porcs est parvenue à un certain degré de corruption, il n'y a plus de remède; il faut en jeter les chairs.*
²⁶¹) cf. de civitate Argentoratensi *Die Apotheker-Ordnung §. 24. §§. in Strasb. Collog. Med. p. 31.*



CONSPECTUS.

PRÆMONENDA DE VENEFICIO CULPOSO IN GENERE.

A. Definitio. Illud

- I. Est delictum.
- II. Sine culpa non intelligitur. Quædam de Culpa in genere.
- III. Veneno committitur.
- IV. Hominis vitæ vel sanitati illo nocetur.

B. Divisiones.

DE VARIIS SPECIEBUS VENEFICII CULPOSI.

A. DE V. C. IMMEDIATE COMMISSO. SECTIO I.

I. De Poculo abortus. CAP. I.

1. De Abortu procurato in genere. §. 1.
2. De illo, qui poculo committitur. Hujus delicti
 - 1) natura & indoles.
 - (1) Est delictum. §. 2.
 - (2) Et dolo & culpa committitur. §. 3.
 - (3) Medicamentis abortivis peragitur. §. 4.
 - (4) Expulsio fœtus requiritur. §. 5.
 - 2) Pœna.
 - (1) ordinaria Juris
 - a. Romani. §. 6.
 - b. Germanici. §. 7. fq.
 - a) veteris.
 - b) C. C. C. & Praxis hodierna. §. 9.
 - (2) mitigata. §. 10.
 - (3) exasperata. §. 11.
 - 3) De Satisfactione privata. §. 12.

II. De Poculo sterilitatis. CAP. II.

1. An talia dentur? §. 13.
2. Dispositio C. C. C. §. 14.

III. De Philtro, Poculo odii &c. CAP. III.

1. Philtum. Hujus delicti

- 1) Definitio. §. 15. Illud
 - (1) Est delictum. §. 16.
 - (2) Dolo vel culpa committitur. §. 17.
 - (3) Conficitur Philtro. §. 18.
 - (4) Effectus Philtri requiritur. §. 19.
- 2) Pœna

- (1) ordinaria Juris
 - a. Romani. §. 20.
 - b. Carolini. §. 21.
- (2) mitigata. §. 22.
- (3) exasperata. §. 23.

2. Poculum Odii & Furoris. Philtra enthusiastica. §. 24.

IV. De porrectione Cibi & Potus corrupti. CAP. IV.

1. per se. §. 25.
2. per vasa. §. 26.

V. De Medicamentis nocivis. CAP. V. Talia dant, qui Medicinam

1. non profitentur. §. 27.
2. profitentur. §. 28. Hi sunt vel *Medici* vel *medicastroi*.
 - 1) utrorumque Definitio. Medicastroorum in specie natura. Hi (1) Medicinam faciunt. §. 29. (2) Theoreticis & practicis principiis Medico necessariis destituti sunt. §. 30. (3) Medicinam tanquam artem faciunt. §. 31.
 - 2) De delictis, quæ circa Medicinam a Medicis & medicastrois committuntur. §. 32.
 - (1) An Medicus possit veneno necare volentem? §. 33.
 - (2) Num Medicus, qui veneno tanquam medicamento usus, occidit, veneficii culposi reus sit? §. 34.
 - 3) De Pœna veneficii culposi a Medico vel medicastro commilli. §. 35.
 - 4) Cura Magistratus circa Medicos. §. 36.

B. DE V. C. MEDIATE COMMISSO. SECT. II.

I. De iis, qui aëra inficiunt. CAP. I. Dum negligenter propagant

- 1) Contagia hominibus infesta. §. 37.
- 2) Luem brutorum. §. 38.
- 3) Dum Recens conclave hospiti dant. §. 39.

II. De iis, qui aquas, fontes &c. inficiunt. CAP. II.

- 1) De Romanorum temporibus. §. 40.
- 2) De nostro ævo. §. 41.

III. De iis, qui, dum veneno ad animalia nociva arcenda utuntur, hominibus nocent. CAP. III. Deleri solent animalia

- 1) *per se* nociva. §. 42.
- 2) *ratione loci cuiusdam* nociva. §. 43. Hæc sunt animalia
 - (1) quibus vescimur. §. 44.
 - (2) quibus *non* vescimur. §. 45.

IV. De Venef. culp. animalibus furiosis aut venenatis commissio. CAP. IV. Negligentia committitur circa animalia

1. in rabiem prona. §. 46.
2. venenata. §. 47.

V. De commercio illicito venenorum. CAP. V.

1. proprie talium
 - 1) simplicium. §. 48.
 - 2) compositorum. §. 49. Ubi de Mangonlis nocivis.
2. rerum sua natura innocuarum, sed morbo, vetustate &c. corruptarum. CAP. VI.
 - 1) Alimentorum. §. 50.
 - 2) Medicamentorum. §. 51.

Straßburg, Diss., 1776-93

ULB Halle

005 359 813

3







1782, 1.

CULPOSO

TSU

UM ORDINIS

7

ATEM DOCTORIS

SCENDI

MDCCLXXXII.

DIVINIS

ABIT

SCUS EHRMANN

ATENSIS

c.

ORATI

i, Direct. Nobilit. Typogr.

